Q. D. B. V.

DISSERTATIO JURIDICA

De

FUNDAMENTORUM DEFINIENDI CAUSAS MATRIMONIALES HACTENUS RECEPTORUM INSUFFICIENTIA.

QUAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

Electoratus Brandenburgici Herede

&c. &c. &c.

PRÆSIDE

DN. D. CHRISTIANO THOMASIO,

Consil. Elect. Brandenb. & Prof. Publ.

Publico Eruditorum Examini submittit

Die 14. Maj. Ann. M DC XCVIII.

H. L. Q. C.

BERNHARDUS FRIDERICUS Buhle/

Harzger-Anhalt.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

LITERIS CHRISTOPHORI SALFELDII,

TYPOGR. ELECT. BRAND.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

DISSERTATIO JURIDICA, De FUNDAMENTORUM DEFINIENDI CAUSAS MATRIMONIALES HACTENUS RECEPTORUM INSUFFICIENTIA.

SUMMARIA.

Communiter sudamus in inutilibus, negligimus aut obiter tractamus utilia §. 1. *Quod & factum utilissima materia de nuptiis* §. 2. *Utpote quæ misere proponitur à Scriptoribus Pontificiis* §. 3. *Neque sufficienter ex Reformatis à Voëtio & Beza* §. 4. *Neque multò melius à Lutheranis.* §. 5. *Dolendum insuper, quod in tractatione harum quæstionum sæpè immisceantur calumniæ & intempestivæ criminum imputationes* §. 6. *Hic verò veritatis studiosus ante omnia origines errorum notat.* §. 7. *Multum confusam nostratium tractationem promovit incauta defensio conclusionum quarundam ex hypothesi, quod Matrimonium sit Sacramentum, per Reformationem rejecta, profluentium.* §. 7. *Fons autem errorum hic est, quod scriptores causarum matrimonialium destituantur fundamento.* §. 9. *Nam quod jus naturæ attinet, hypothesis Scholastica de jure naturæ ad causas matrimoniales est insufficiens,* §. 10. 11. 12. *ut ex qua ne quidem absurda Lyseri sententia, polygamiam virilem jure naturæ esse præceptam volentis, potuit refutari.* §. 13. 14. *Æque insufficiens est hypothesis de convenientia cum statu integritatis,* §. 15. 16. *præprimis cum non sine ratione dubitetur, an in statu integritatis futurum fuisset matrimonium.* §. 17. *Novior hypothesis: Periculosum esse quærere jus naturæ in dictatu rationis, item asserere, id esse cordibus hominum insitum* § 18. *Fundamentum juris naturæ esse convenientiam cum ordine & fine creaturarum, (Pacta & contractus non esse juris naturæ.)* §. 19. *Post lapsum tamen istum ordinem creaturarum difficillimè & nonnisi per umbram cognosci. Inservire tamen ejusdem cognitioni octo gradus amoris Scholasticorum* §. 20. *Primum gradum esse amorem Dei, cujus tamen colendi modum non præscribat jus naturæ,* §. 21. *Secundum gradum esse amorem animæ nostræ. Summum bonum morale hominis esse edere, bibere & gaudere.* §. 22. *Tertium gra-*

gradum esse amorem animæ proximi. Homines etiam in statu primævo citra curam aliorum fuisse animalia miserrima §.23. Quartum gradum esse amorem universi §.24. Quintum, vitæ nostræ §.25. Sextum, vitæ proximi §.26. Septimum bonorum nostrorum, (Dominium esse juris naturæ) §.27. Octavum, bonorum proximi §.28. His addendum esse nonum gradum amoris cujusvis creaturæ. Cognitionem tamen ordinis singularum creaturarum in Adamo esse amissam §.29. Inde sequi, quod homo etiam in bestias possit delinqvere. §.30. Expenditur veritas dictæ hypotheseos §.31. & ostenditur: non esse periculosum, quærere jus naturæ in dictatu rectæ rationis §.32. nec esse periculosum, si asseramus, jus naturæ inscriptum esse cordibus hominum §.33. Sententiam de fundamento juris naturæ in convenientia cum ordine & fine creaturarum 1) non esse veram, quatenus docet, jus naturæ etiam in creaturas ratione carentes cadere §.34. Ex impetu agere, & secundùm legem agere, esse opposita §.35. 36.37.38.39.40. 2) Non esse adæquatam, cum non omnis ordo naturæ sit jus naturæ; §.41. Nec omne quod est adversus ordinem naturæ etiam humanæ, sit contra jus naturæ §.42. 3) Non esse evidentem, cum ignoremus, quot sint partes hominis, quid sit corpus, quid anima hominis, quid pertineat ad bonum hominis §.43. nec detur evidens distinctio ordinis naturæ ab ordine humano §.44. Non videri convenienter pacta & contractus à jure naturæ eximi & Juri gentium tribui. §.45. Ipsos dissentientes fateri, hypothesin illam esse obscuram §.46. Neq; videri ex amore hominis convenienter deduci jus naturæ omnibus creaturis commune §.47.48. aut minimum istam hypothesin coincidere cum hypothesi de socialitate hominis §.49. Primum amoris gradum non pertinere ad jus naturæ §.50. Jus naturæ contra propriam hypothesin à dissentientibus peti ex dictatu rationis §.51. Obscurè dici, quod ex jure naturæ obligemur, ut omni creatura utamur ad gloriam Dei §.52.53.54.55.56.57. In secundo gradu obscurum esse, an vita commoda differat ab ea, quæ sedatos affectus habet §.58. Item in hoc gradu lectorem duci in circulum §.59. & disputari adversus propriam hypothesin §.60. Doctrinam verò de Summo Bono in vita secundum naturam & carentia doloris consistente debere sano sensu explicari §.61. Salomonem deniq; hic non optimè cum Epicuro jungi. Alium longè sensum esse dicti Salomonis à dicto Sardanapali. 62. In tertio gradu curam animæ proximi non restringendam esse ad curam Intellectus. §.63. Neq; verum esse, quod homo integer miserũ fuisset & clingve animal absque aliorum curâ; §.64. Neq; id probari ex eo, quod Christus profecerit in spiritu & sapientia. §.65. Monita circa gradum quartum,

tum, §. 66. & quintum, §. 67. item sextum, §. 68. & septimum. §. 69. Dominium non esse ex jure naturæ immediate: si verò sit, etiam pacta esse ex jure naturæ. §. 70. Monita circa gradum octavum §. 71. & nonum §. 72. Nova confessio de obscuritate istius hypotheseos, item de summa perfectione cognitionis in Adamo citra curam aliorum hominum §. 73. 74. 75. 76. Ex ista hypothesi etiam impugnari ea, de quorum tamen licentia nullum est dubium: v. g. non licere vinum bibere, navigare, lapidem sursum projicere &c. §. 77. Neq; ex ista hypothesi in causis matrimonialibus quasdam assertiones firmari v. g. quod qui meretricem ducat, faciat opus pietatis §. 78. item quod incestus in linea recta sit prohibitus ob ordinem naturæ & reverentiam parentibus debitam, §. 79. item: Senem enervatum cum puella non posse inire matrimonium, & hinc cum tali non committi adulterium. §. 80. item: quod thesis vera quidem, matrimonium esse juris naturæ, non possit tamen connecti cum propria hypothesi. §. 81. item: non posse demonstrari assertionem: non nudum consensum facere matrimonium, sed insuper ad ejus essentiam requiri traditionem, §. 82. & quæ inde deducitur, conclusionem: In concursu duorum sponsaliorum de præsenti præferenda posteriora, si benedictio sacerdotalis accesserit. §. 83. In definiendis causis matrimonialibus necesse est præter Jus Naturæ, etiam respicere ad Jus Divinum positivum universale, §. 84. frustrà dissentiente B. Brucknerô. §. 85. Neque defectus hujus Juris suppleri potest per pudorem quendam naturalem ex l. 14. §. 2. ff. de R. N. §. 86. Lamberti Velthuysii opinio de distincta pudoris in causis matrimonialibus consideratione. Res ex ejus mente Jure Naturali præceptæ, prohibitæ, & indifferentes. §. 87. Velthuysium jam suô tempore fundamentum Juris Naturæ posuisse in ordine creaturarum, differre tamen ejus doctrinam ab hypothesi superius excussa. §. 88. Velthuysio ordinem naturæ consistere in conservatione sui, & hanc conservationem esse ipsi primum principium Juris Naturæ. §. 89. Differentia doctrinæ Velthuysii à doctrina Hobbesii. §. 90. Rejicitur ratio, quâ Velthuys. probare vult, conservationem sui esse principium Juris Naturæ. §. 91. 92. Duplicia secundùm Velthuysium peccata contra seipsum, alia contra naturam strictè dicta, alia contra decorem & dignitatem hominis. §. 93. Ostenditur Velthuysium inconvenienter permittere senibus appetitum copulæ, §. 94. & ex ejus ratione scortationis licentiam etiam adversus ipsum defendi posse. §. 95. Polygamia, divortium, incestus, pudendorum revelatio secundùm Velthuysium non sunt peccata contra Jus Naturæ, sed repugnant pudori & honestati naturali. §. 96. Ergò Velthuysius in causis matrimonialibus præter conservationem sui aliud fundamentum, nempe pudorem, agnoscit. §. 97. Contra decorem & dignitatem hominis peccare dicit Velthuysius vitium ebrietatis & indecoras gesticu-

 lacio-

lationes. §. 98. *Ostenditur, Velthuysium maximè esse obscurum in eo punctô, quomodo differant peccata contra pudorem & contra dignitatem hominis,* §. 99. 100. *& in assignandis speciebus horum duorum generum mire fluctuare.* §. 101. *Obscuritatem non tolli per id, quod Velthuysius asserat, peccata contra dignitatem etiam repugnare homini integro, contra pudorem verò saltem lapso.* §. 102. *Neque tolli hanc obscuritatem ex Velth. Tract. de Naturali pudore.* §. 203. *Etsi enim ibi tres gradus pudoris faciat, quando scil. quid committatur vel contra legem, vel contra pudorem strictè dictum, vel contra dignitatem,* §. 104. *non tamen ponuntur certa axiomata hos gradus secernendi,* §. 105. *sed postulata saltem quædam æquè obscura aut etiam falsa.* §. 106. Postulatum I. *Hominem integrum habuisse corpus terrestre & animale.* §. 107. *Ostenditur falsitas hujus sententiæ, & quomodo ex principiis veræ Logicæ ac Physicæ sint exponenda loca, Gen. II. v. 7. & 1. Corinth. XV. 45. ita ut in hoc ultimo loco per secundum Adamum intelligatur Adamus integer.* §. 108. 109. 110. 111. 112. *Confirmatur firmissimis argumentis hæc expositio, & quod Adamus integer non habuerit corpus terrestre & animale.* §. 113. 114. 115. 116. 117. Postulatum II. *In corpore Adami integri fuisse membra vilia & minus honesta.* §. 118. *Ostenditur etiam hujus postulati falsitas,* §. 119. 120. *& quod non probetur ex 1. Cor. XII. v. 23.* §. 121. 122. Postulatum III. *Talia membra esse, quæ ad functiones edendi, bibendi ac coëundi destinata sunt;* §. 123. *item quæ inserviunt excernendis excrementis* §. 124. *In talibus ergò membris esse triplicem turpitudinis gradum.* §. 125. 126. *Ostenditur, doctrinam hujus Postulati planè non cohærere.* §. 127, 128, 129, 130. Postulatum IV. *Adamum de vilibus istis functionibus in statu integritatis non erubuisse, quia non habuerit scientiam boni & mali.* §. 131. *Observatio circa hoc postulatum.* §. 132. *Eadem observatio circa* Postulatum V. *Per lapsum Adamum cum damno suô scientiam boni & mali acquisivisse.* §. 133. Postulatum VI. *Post lapsum ergo in Adamo ob ista membra pudorem fuisse ortum, partim quod senserit, inde oriri in animis aliorum hominum æstimationis suæ imminutionem, partim in Eva contemtum sui.* §. 134. *Ostenditur Adamum ob amissam gloriam & membrorum vilitatem causam pudendi nullam habuisse, nec intuitu Evæ, nec intuitu posterorum.* §. 135. Postulatum VII. *Pudoris in Adamo causam non esse considerationem libidinis in coitu, quia hæc nec abfuisset in statu integritatis,* §. 136. *quod & ipsum negatur.* §. 137. *Igitur ex Velthuysii principiis nihil solidi sperandum est in definiendis causis matrimonialibus.* §. 138. *Ut qui post varios discursus insufficientiam principiorum suorum ipse fatetur.* §. 139. *Sola allegatio pudoris naturalis in causis matrimonialibus est tacita confessio ignorantiæ,* §. 140. *præprimis in JCto Christiano. In causis matrimonialibus pudor deducendus ex lege.* §. 141. *Fundamenta definiendi causas matrimoniales etiam in Institutionibus Juris Divini tradita sunt insufficientia,* §. 142. *non tamen falsa.* §. 143. *Indicatur insufficientia doctrinæ circa Jus Naturæ,* §. 144. *& summa emendationis,* §. 145. *atque usus in causis matrimonialibus,* §. 146. *Insufficientia doctrinarum circa Jus Divin. positivum universale,* §. 147. *Emendatio earundem summaria.* §. 148. *Plenior reservatur discursui peculiari de fundamentis genuinis causarum matrimonialium,* §. 149. *& excussio fundamentorum aliorum communiter immisceri solitorum discursui de fundamentis spuriis causarum matrimon.* 150.

§. 1. Mi-



§ 1.



Misera est conditio Jurisprudentiæ nostræ. Sudamus in multis rebus, quæ nullum usum habent aut exiguum; negligimus plures adhuc res, aut superficiariè eas tractamus, quæ usus quotidiani sunt. Sudamus v. g. in difficillimâ doctrinâ Juris Romani de jurisdictione, pactis, contractibus innominatis, actionibus bonæ fidei & stricti juris, actionibus arbitrariis, item pœnalibus, doctrinâ culparum, fructuum, impensarum & infinitarum aliarum rerum, quæ tamen hodiè vel nullum habent usum, ut priora recensita capita, vel certè quæstiones subtiles & intricatæ in ultimis materiis culparum, fructuum, impensarum, aut rarò occurrunt in praxi, aut difficillimè applicari possunt. Quæ quotidiè obveniunt; ut quæstiones de rusticis, hominibus propriis, de juribus venationum & forestalibus, de causis mercatoriis & cambialibus, de causis opificiorum, & opificum &c. horum doctrina ferè omittitur in Academiis, & demum in ipsâ praxi multis cum incommodis addiscenda est. Unde diligentia JCti Jenensis Adriani Beyeri, Jurisprudentiam opificiariam hactenus eruditis dissertationibus illustrantis meritò alios ad similia in aliis capitibus tentanda deberet instigare.

§. 2. Et quid magis frequentatur, quàm *Matrimonium*? Quid majoribus controversiis involutum est, quàm Matrimonium? Sponsione quâvis absque periculô certare possis, nullam propè thesin in doctrinâ de matrimoniô esse, quæ non habeat opinionem communem contra communem, imò nullum ferè Scriptorem esse ex Pontificiis, Lutheranis, Reformatis, cujus doctrina in matrimoniô cohæreat exactè. At verò hoc ipsum

indicio est, doctrinam de causis matrimonialibus hactenus superfunctoriè fuisse tractatam, non satis eruditè. Quid enim? An eruditum dici potest, atque solidè tractatum, quod non cohæret.

§. 3. Atque ne gratis istud asseruisse videamur, evolve modò ex Pontificiis, quotquot velis Scriptores de Justitiâ & Jure seu Moralistas, evolve Canonistas, evolve denique, qui omnium fusissimè peculiari opere quæstiones matrimoniales explicuit, Thomam Sanchez, nihil deprehendes nisi farraginem sententiarum, non dupliciter, sed multipliciter sibi oppositarum & à se dissentientium, quarum sæpe nulli dicere possis: Tu mihi sola places.

§. 4. Ex Reformatis, quæ Gisbertus Voëtius *Part. I. Polit. Ecclesiast. Lib. 3. Tract. 1.* de Matrimoniô collegit, pro more Autoris non nisi scopæ dissolutæ sunt, dum videlicet statim *init. Cap. I.* præsupponit, quæ de jure connubiorum, deque ejus essentiâ, proprietatibus & officiis conjugum à Philosophis, JCtis, Theologis fusè explicari solent. Ista verò præsupposita sunt infinitis modis sibi contradicentia. Extant quidem jam Theodori Bezæ eruditi Tractatus duo; unus de *Repudiis & divortiis*, in quô pleræque de causis *matrimonialibus incidentes controversiæ ex verbo DEI deciduntur*; *alter de Polygamiâ, in quô & Ochini Apostatæ pro Polygamiâ & Montanistarum ac aliorum adversus repetitas nuptias argumenta refutantur, utrobique verò Jus Civ. Rom. & veteres Canones ad normam Juris Divini examinantur.* In quibus Autor laudandus, quod jam suô tempore tentaverit causas matrimoniales ad verbum DEI excutere, easque à fermentô ineptiisque Juris Canonici purgare. Sed uti tamen hic fortè primus inter suos glaciem fregit; ita multa prætervidit ex superstitione Papæâ ortum ducentia, & pro talibus habuit, quæ ex Ecclesiâ Apostolicâ deduci mererentur. e. g. Benedictionem Sacerdotalem, statim ab initio Tractatus de Repudiis. *Confer. Lambert. Velthuys. in præfat. ad Libellum de naturali pudore.* Ut taceam, quod fervor nimius in dissentientes (utpote quô, cum Calvinô maximoperè laborabat Beza, cùm contra Zwinglius mitior esset) eum sæpè obcœcaverat,

rat, ut veritatem videre ac ſecernere non poſſet, aut ut bonam cauſam non ita benè defenderet, uti potiſſimùm in Tract. de Polygamia factum. Nam ſi unquam decet virum ſapientem in inquiſitione veritatis ab affectu iræ aut favoris eſſe liberum, hic maximè eâ re opus eſt, in materiâ videlicet intricatisſimâ.

§. 5. Vidit & jam ſuô tempore B. Lutherus multa, quæ in doctrinâ de conjugio Papiſmum redolent. Sed nec ipſe tamen hîc ubique vidit, quantum videre opus eſt. Quantum fluctuaverint Theologi Lutherani in his cauſis jam ejus tempore, vel ex *Sarcerii Corpore juris matrimonialis* videri poteſt. Noſtris temporibus diſſenſus Theologorum & JCtorum inter ſe & major & virulentior eſt. Vide *Conſilia Theologica plurima in Voluminibus Conſiliorum Witteberg. & Dedekenii.* Cui non notæ ſunt controverſiæ ætate noſtrâ acriter ventilatæ? De Conjugiô cum uxoris ſorore Bucholzii, Strauchii, Havemanni, & quæ collecta ſunt reſponſa in cauſa Oettingenſi; de Polygamia Lyſeri ſub variô nomine prodeuntis, Feltmanni, Diecmanni, Brunsmanni, Muſæi, Daphnæi Arcuarii, Chriſtiani Vigilis, Siricii, Slüteri, Meyeri, &c. De conjugiô Evnuchi reſponſa collecta ab Hieronymô Delphinô &c. Et evolve ſolùm Hieronymi Bruckneri *Deciſiones matrimoniales*, deprehendes, nullam ſententiam in quæſtionibus matrimonialibus eſſe tàm falſam, aut certè paradoxam, quæ non à Conſiſtoriis Evangelicis aut Facultatibus Theologicis pariter & Juridicis approbationem invenerit.

§. 6. Dolendum verò quàm maximè, quod in diſſenſu hodiernô noſtrâtium non tantùm iræ ſed & cavillationum ac calumniarum ſigna ſubinde occurrant. Neque enim diſputantes hic contenti ſunt, oſtendere diſſentientium opiniones veritati parùm convenire, ſed & mutuò ſe impietatis, læſi pudoris, & tantùm non quandoque blaſphemiæ accuſant, quod in controverſiis de Polygamiâ, & conjugio cum uxoris ſorore accidit, Cum tamen vel maximè in tantô diſſentientium, utrobique autoritate & doctrinâ pollentium numerô, ſe invicem amicè & fraternè abſque rancore admonere & docere deberent. Ita v.g. cum tot variantes de cauſis divortiorum ſint gentium Chriſtianarum

leges, rectè ait Brucknerus *Decis. Matrim. Cap. 16. n. 17. arrogans nimis fore, si quis eas leges impietatis accusare vellet.* Et *in addit. d.c. 16. p. 21. lit. dd. ubi ad judicium Melchioris Klingii de Sarcerii librô notas quasdam adjecit; pessimum hoc, ait, & publico interesse summè damnosum vitium esse quorundam, qui potestate & autoritate publicâ pollent, quô omnia, quæ alii non ad gustum aut secundum opinionem ipsorum dicunt aut scribunt, statim Incestus, adulterii, & aliorum scelerum impurissimorum nominibus traducunt & infamant, quasi scil. ipsi dictatoriâ potestate in Republ. literariâ polleant, & nil nisi, quod ipsis probatur, rectum aut justum dicendum sit, de quâ tyrannide in ingenia libera aliquando DEUS severam rationem ab iis exiget:* Simili modò in simili casu respondit Facultas Juridica Halensis versus R. ad consultationem Dn. L. D. S.

§. 7. Quid igitur faciendum ei, qui in deviis hisce viam quærit? Videtur id commodissimum esse, ut initiô orrigines errorum paucis notentur. Tùm erroribus evitatis facilè via veritatis se cuilibet conspiciendam monstrabit. Et istud quidem jam expediemus, posterius alii tempori, si DEUS voluerit, reservantes.

§. 8. Non negandum, causam & dissensionum & errorum variorum in eo esse positam, quod nostrates sublatô per Reformationem erroneô Pontificiorum assertô; quod *Matrimonium sit Sacramentum*, nihilominus multas conclusiones, quas Scriptores Pontificii ex illâ hypothesi deducunt, incauti retinuerint, easque posteà malè cohærentibus rationibus defendere allaboraverint, aut easdem autoritate Virorum Celebrium, Consistoriorum, Theologicarum & Juridicarum Facultatum confirmare studuerint. Exempla huc pertinentia subinde annotavit Illustris Dn. Strykius *partim in Notis ad Brunnemanni Jus Ecclesiast. partim in variis Disputat. ad causas matrimoniales pertinentibus, passim.* Sed tamen iste error nondum est ultima scaturigo turbulentæ hujus confusionis.

§. 9. Ubi nullum fundamentum est, ibi nihil superstrui potest. Ex quâ lege causæ matrimoniales dirimendæ sunt? An ex divinâ an ex humanâ? an ex utraque? Hic radix mali. Hôc

intuitu

intuitu enim apud ſcriptores vel nullum planè fundamentum invenies, cui aſſertiones ſuas ſuperædificent, adeoq; ſic quaſi in aëre libero caſtella ſtruunt; vel certè ædificium fundant ſuper arenam, cui nihil ſolidi ſuperimponere poſſis. Id quod potisſimùm in noviſſimo ſcriptore B. Brucknerô dolendum, quod in diſſertatione prooemiali deciſionum ſuarum matrimonialium fundamenta debitô modô non ſtabiliverit.

§. 10. Equidem nemo negat; jus naturæ æquè hujus ac aliarum ſocietatum fundamentum eſſe debere. Interim tamen quilibet jus quoddam naturæ ſibi format ſecundùm diſpoſitionem cerebri, vel accuratiùs loquendo, ſecundùm inclinationem cordis ſui. Et notisſimùm eſt, quod inter omnia capita controverſa plurimæ controverſiæ ſint inter Theologos pariter ac Politicos de requiſitis matrimonii ex regulis juris naturalis, & quod confuſisſimæ doctrinæ ac pesſimè cohærentes fuerint inculcatæ, quamdiu Jus Naturæ ad normam Papiſtico-Scholaſticarum hypotheſium fuit expoſitum.

§. 11. Loqvuntur id variorum commentarii ad Hug. Grot. *de Jure B. & P. L. 2. C. 5. §. ſeqq.* ubi videre licet, quàm anxiè plerique commentatores hypotheſes illas adverſus Grotium, quædam veritatis ſtudiô in doctrinâ de Matrimoniô innovare vel potius renovare ſtudentem, defendere allaborent. Quod ſi tamen præjudiciô auctoritatis ſis liberatus, ſtatim apparebit, defenſiones illas, ſi iis demas arrogantiam hæretificationis, qua diſſentientes i. e. cum Grotiô ſentientes pro heterodoxis declarant, & ſputa Scholaſticorum tantùm non lingunt, omni pondere deſtitui.

§. 12. Scilicet uti tota doctrina de fundamentali propoſitione juris naturæ, de lege quâdam æternâ, de Sanctitate Dei divinæ voluntati oppoſitâ, de actibus quibusdam per ſe & antecedenter ad voluntatem divinam honeſtis vel turpibus &c. eſt obſcura, inadæquata & falſa, uti oſtendit Dn. Præſes *L. 1. Jurisprud. div. C. 1. §. 31. it. C. 2. §. 74. ſeqq. & Cap. 4. §. 20. ſeqq.* ita in difficillimâ cauſarum matrimonialium materiâ inde nihil niſi obſcurum, inadæquatum vel falſum ſperare poſſumus.

§. 13. Quamdiu hypotheſes falſæ communi auctoritate nituntur, ac metu heterodoxias incuſsô unanimiter defenduntur, tamdiu videntur incautis aut ſuperſtitioſis eſſe irrefutabiles ac infallibiles. Quam primum verò iſta inanis autoritas contemnitur, aut metus hæretificationis conſtanti animô ſequeſtratur, tùm ſtatim vilitas ejusmodi infallibilitatum transparet, & quemlibet veritatis cupidum pudet, quod tamdiu ſe ut beſtiam circumduci paſſus fuerit. Præprimis ſi videat ejusmodi hypotheſes ita eſſe comparatas, ut ne quidem abſurdas ſententias ſolidè refutare queant.

§. 14. Quid abſurdius excogitari poteſt, quàm aſſerere velle, polygamiam virilem non ſolùm jure divinô eſſe licitam, ſed & præceptam, ita ut maledictus ſit, qui hoc opus Domini negligenter faciat? Et tamen cùm ita inſanire inciperet ſub nomine Theophili Alethæi & Sinceri Wahrenbergii Lyſerus, ejus adverſarii verò ex nugis illis Scholaſticorum ipſum aggrederentur, refutatione hâc ſuâ nihil aliud effecerunt, qvàm ut malam iſtam & ineptam cauſam promoverent, ac Lyſero occaſionem darent ſub nomine Athanaſii Vincentii *Polygamiam triumphaticem* ſcribendi, & non ſine causâ de ipſis ipſorumque rationibus triumphandi.

§. 15. Tentârunt equidem, iſta ſentientes viri eruditi, ut Scholaſticam Philoſophiam hâc parte emendarent. Sed uti facilius eſt incautis errorem cognoſcere, quàm veritatem, ita & iſtis emendatoribus accidit. Quid de doctrinâ, ſecundùm quam jus naturæ ad hypotheſin ſtatûs integritatis exigendum ſit, ſentiendum, fuſius dixit Dn. Præſ. in Inſtit. Jurispr. div. *L. 1. C. 4. §. 40. ſeqq. & in ſcholiis adjectis vid. etiam programma German. nov. Edit. præmiſſum.*

§. 16. Et vel ideò ad cauſas matrimoniales definiendas illa hypotheſis parùm apta eſt, quia ſupponit multos errores communes pro veris, quod in ſtatu integritatis obtinuiſſent. v. g. imperium maritale, item imperium parentum in liberos, ut adeò & in ſtatu integritatis cònſenſu parentum ad nuptias filiorum fuerit opus, cum tamen utrobique ſe in ſtatu integrita-

tis

tis rem aliter habuisse ostensum etiam fuerit in *Jurispr. div. L. 1. C. 2. §. 29. & Lib. 3. C. 2. §. 105. sq.*

§. 17. Ut taceam, istud nondum constare, an in statu integritatis societas nuptialis planè fuerit, cùm secundùm quorundam opinionem, ut nobis videtur vero haud absimilem, duplex statuatur Adami lapsus; unus ante creatam Evam in desiderio consistens more bestiarum se multiplicandi, *Gen. 2. v. 18. 21.* cum antea solus Adam potentiam habuerit spirituali modò in se ipsô & ex se ipsô se multiplicandi *Gen. 1. v. 27. 28.* alter post creatam Evam per comestionem ab arbore vetitâ commissus *Gen. 3. v. 1. seqq.* Quem duplicem lapsum Origenes eumque secuti alii confundentes ac miscentes statuerunt, comestionem ab arbore vetitâ mysticè denotare congressum carnalem cum Eva. Sed de hôc fortè alibi.

§. 18. Alii docent, Jus Naturæ nequaquam in dictamine rectæ rationis, sed in ordine naturæ consistere. *Periculosum „ esse in dictatu rationis quærere jus naturæ; sic enim, quot capita tot „ sensus, & non nisi ex hoc fonte profluere diversissimas illas & monstro- „ sas de jure naturæ opiniones, dum hoc vel illud dictare Jus Naturæ „ alter affirmet; alter neget, unde & periculosum & absurdum esse, sta- „ tuere, quod in hoc consistat forma, sive modus promulgandi legem „ naturalem, quod sit omnium mortalium cordibus insitum.* „

§. 19. *Totum enim juris Naturalis studium consistere in cogni- „ tione creaturarum, quò sciamus, in quo ordine quæque res creata sit, „ eâdemque in illo ordine, ad eum finem, ad quem creata est, utamur. „ Hinc non confundendas esse virtutes Juris Naturæ, Temperantiam „ nempe & Veritatem cum virtutibus Juris Gentium & Juris Civilis, „ quales sint: Fortitudo, Magnanimitas, justitia distributiva, & ma- „ gnam partem commutativa, & quæ dici possit rectè unica virtus „ Theologica, Moralis & Civilis; la Complaisance. Inde Pacta & Con- „ tractus non esse Juris Naturæ sed Gentium.* „

§. 20. *Quâ verò ratione circa actiones istas naturales rectè sese „ gerere debeat homo, id admodum difficile esse exprimere, cum lapsu „ primorum parentum natura humana ita depravata sit; ut usum ac „ ordinem omnium creaturarum nonnisi quasi per umbram aliquatenus „ cogno-* „

*„ cognoscere , nedum observare possimus. Ad illum tamen quodam-
„ modò investigandum commodissimè humanas actiones examinari posse
„ secundùm gradus amoris, ut qui unicum sit naturæ vinculum, idem-
„ que unicus hominis affectus, & in cujus rectâ gubernatione omnis vir-
„ tus & verum honestum consistat. Amoris autem octo gradus vulgò
„ à Scholasticis solere enumerari.*

*„ §. 21. Primum gradum esse Amorem DEI, per quem oblige-
„ mur ad ejus cultum. Certum autem numen colendi modum non
„ præscribere jus Naturæ, at hunc ab ipsius DEI revelatione vel etiam
„ certâ ratione à Majestatis Civilis dispositione dependere, ita tamen, ut
„ errantes mitius tractentur. Secundùm hunc amoris gradum, quan-
„ tùm Jus Naturæ attinet, omnem creaturam tàm in nobis, quam extra
„ nos adhibendam esse primariò ad gloriam DEI.*

*„ §. 22. Secundum gradum esse amorem animæ nostræ ad com-
„ modè transigendam vitam & affectus corporis secundum rectam ratio-
„ nem dirigendos. Si enim ita animus secundùm ordinem naturæ &
„ rectam rationem dirigat affectus, consequi hominem summum bo-
„ num morale i. e. constantem voluptatem animi, quæ secundùm Epi-
„ curum rectè consistat in vitâ secundum naturam, & carentiâ doloris,
„ & quæ etiam Sapientissimi Salomonis sit sententia, plus simplici vice
„ docentis : Hominem nihil melius (ergò hoc esse optimum) habere sub
„ sole, quàm edere, bibere (scil. secundùm naturam) & gaudere Ec-
„ clesf. C. 8. v. 15. C. 5. v. 17.*

*„ §. 23. Tertium gradum esse amorem animæ proximi. Hanc
„ ab initio esse instar tabulæ rasæ, in quâ nihil sit sctiptum, & adeò
„ homine nullum miserius animal fore, si citra aliorum curam ad robu-
„ stam provectus foret ætatem, elingve nimirum ac nudum & ad omnem
„ societatem ineptum. Et ejusmodi conditioni homines, etiamsi in statu
„ primævô permansissent, obnoxios fuisse, non ineptè colligi ex exem-
„ plo ipsius Salvatoris, qui non ab initio omnibus ad vitam necessariis
„ animi donis instructus cum ætate demum profecerit, & corroboratus
„ fuerit spiritu, ac impletus sapientiâ Luc. 2. v. 40. Hinc quemque
„ obligari etiam cum jactura bonorum suorum curare, ut animus pro-
„ ximi ad vitam rectè transigendam & naturæ ordinem observandum
„ probè informetur.*

§. 24.

§. 24. *Quartum gradum esse amorem Universi, ut tota natura „ creata, quantum in nobis sit, conservetur, quod in statu civili ad- „ umbretur amore Reipublicæ, cujus tamen imperium civile jus naturæ „ ignoret, videlicet ortum ex jure Gentium.* „

§. 25. *Quintum gradum esse amorem vitæ nostræ, pro qua omni- „ bus modis defensio suscipi possit, etiam cum periculô & jacturâ vitæ „ alienæ.* „

§. 26. *Sextum gradum esse amorem Vitæ proximi. Unde ne- „ minem habere jus occidendi hominem, nisi à DEO hoc ipsi concessum, „ vel vi ipsius naturæ ordinis, vel vi legis per expressam sanctionem latæ, „ v.g. ob homicidium, adulterium &c. non ob furtum, cum pœna Ca- „ rolina* Art. 162. seqq. *sit nimis dura, & Achilleis argumentis oppu- „ gnata à Bachovio* ad Treutl. V. 2. Disp. 3. th. 3. lit. G. „

§. 27. *Septimum gradum esse amorem bonorum nostrorum, „ cum Dominii origo sit juris naturæ, & communio primæva jam du- „ dum ab aliis explosa, utpote impossibilis & contra ordinem naturæ. „ Quare defensionem rerum nostrarum licitè suscipi etiam cum cæde in- „ vasoris, si modò per earum subtractionem in præsens vitæ periculum „ adducar, & aliô modô hoc vitæ periculum averti nequeat.* „

§. 28. *Octavum gradum esse amorem bonorum proximi, quô „ pertineat, quicquid in decalogi 7. 8. & 9. præcepto jubeatur & pro- „ hibeatur.* „

§. 29. *His octo gradibus amoris à Scholasticis recensitis mereri „ addi nonum, scilicet amorem cujusvis creaturæ separatim consideratæ, „ ut in ordine suô, quantum in nobis sit, conservetur, ad quem ordi- „ nem ritè observandum vires totius naturæ & singularum creaturarum „ usum ac finem naturalem scire ac cognoscere deberemus, quam sum- „ mam cognitionem in Adamo amissam licet assequi non possimus, atta- „ men, quantum in nobis est, eò niti, & nullam creaturam ex ordine „ suo turbare debeamus.* „

§. 30. *Ex hoc ergò Jure Naturæ oriri obligationem & instin- „ ctum, constringentem & dirigentem omnes creaturas ad ordinem Na- „ turæ servandum & non perturbandum, cum nulla lex propriè dicta „ sit sine obligatione. Ergò contra Jus Naturæ peccari, si quis de arbore „ fructus plantasve demat, & non ad usum à naturâ destinatum ab- „*

 rum. „

,, *rumpat, volucres, pisces aliave animalia extra ordinem naturæ ne-* ,, *cet. Et verum adeò esse, hominem etiam in brûta delinquere & in-* ,, *juriosum esse posse.* Prov. 12. v. 10. Deut. 22. v. 1, 4, 6.

§. 31. Nobis, quibus cura est, veritatem à quocunque etiam discere, etiamsi alterum jam pedem (non in cymba Charontis, quod paganum foret, sed) in sepulchro haberemus, incumbit, videre, annon ex hoc fundamento deduci queant causæ matrimoniales, quatenus eæ ex Jure Naturali sunt determinandæ. Et faceremus id quidem libenter, si non gravissima dubia nos retinerent, quæ speramus non graviter acceptum iri à dissentien- ,, tibus, laudem in eo merentibus, quod *hanc hypothesin subjece-* ,, *rint lectorum monitis & correctionibus ex placido & sano affectu* ,, *profectis.*

§. 32. Demonstravit jam Dn. Præses *in Instit. Jurisprud. div. L. 1. C. 4. §. 52.* ibique latius declaravit usque *ad* §. *70.* quod fundamentum Juris Naturæ sit convenientia & disconvenientia cum natura hominis sociali, quatenus ex lumine rectæ rationis eadem cognosci potest. Quando igitur affertur §. *18. periculosum esse, si in dictatu rationis quæramus Jus Naturæ, quia tot sensus sint quot capita*, videtur satis apertè confundi dictatum rationis corruptæ cum dictatu rationis rectæ. Non enim ex opinionibus cerebrinis hominum Jus Naturæ æstimandum, sed ex necessaria connexione & repugnantia cum socialitate humani generis. Ista verò necessitas vel repugnantia cuilibet, etiã corruptissimo evidenter ostendi poterit, ut adeò non opus habeamus *timere monstrosas de Jure Naturæ opiniones*, sed ex illo fundamento potius quæcunque opiniones monstrosæ poterunt refutari, vel si non possint, pro monstrosis non erunt habendæ, etsi fortè contradicant opinionibus communissimè receptis.

§. 23. Quod verò additur *eod.* §. *18. periculosum & absurdum esse, quod in hoc consistat forma & modus promulgandi legem naturalem, quod sit omnium mortalium cordibus insitum*, fatemur nos non intelligere, sed potius metuere, ne alii rectius sentientes pro periculoso & absurdo habituri sint, si istam propositionem defendere sustineremus, postquam videlicet jam suo tempore vas

DEI

DEI electum Paulus inculcavit, *gentes, quæ legem Mosaicam non habent, aut agnoscunt, factis suis, dum ea, quæ Legis Naturalis sunt, faciunt, ostendere, opus Legis Naturalis inscriptum esse cordibus suis. Rom. II. v. 14, 15.* Et quomodo igitur absque summæ temeritatis notâ auderemus Paulum accusare, quod periculosam ac absurdam sententiam de formali ratione Juris Naturæ docuerit. *Confer omninò Joh. Adami Osiandri typum Legis Naturæ præprimis th. 41. seqv.*

§. 34. Dum verò dicitur *§. 19. Juris Naturalis studium consistere in ordine & fine creaturarum omnium*, præsupponendum est ante omnia, quod fundamentum Juris Naturæ debeat esse non solum verum, sed & adæquatum ac evidens, prout latius deductum in *Instit. Jurisprud. div. L. 1. C. 4. n. 3. seqq.* Si verò sententiam hanc de ordine & fine omnium creaturarum consideremus, initio videtur eadem eatenus haut veritati esse conveniens, quatenus Jus Naturæ etiam in bruta & reliquas creaturas omnes homini inferiores cadere asserit. Quomodò enim affirmare possimus jus in creaturas ratione carentes cadere, cum juris nemo capax sit, qui ratione caret. Ipsi dissentientes ajunt, *certum esse, juris rationem non dari, nisi per imperium & obligationem, adeoque Juris Naturæ rationem sine imperio & indicatione supremi Numinis nullam esse.* At bestiæ & reliquæ creaturæ ratione carentes obligatione non gaudent, quia intellectu destituuntur, & omnia, quæ agunt, ex necessitate & impetu agunt.

§. 35. Videmus equidem, in contrarium afferri à dissentientibus; *definitionem Juris Naturæ Ulpianeam l. 1. §. 3. de J. & J. & ab Imperatore repetitam pr. Inst. de J. N. G. & C. adeò absurdam non esse, quia omnes res creatæ in certo ordine sint constitutæ. Atqui frustra instrueretur ordo, nisi quoque conservaretur. Docuisse igitur Naturam nonsolùm homines, sed etiam bruta & inferiores creaturas, ut secundum ordinem actus suos instituant, homines quidem cum cognitione juris obligantis, bruta verò & reliquas creaturas, ex naturali impetu sine tali cognitione, quod qui negare ausus fuerit, eum videri nunquam legisse, quæ Salomo de formicis Prov. VI. v. 6, 7, 8. & de apibus Virgil. Lib. 4. Georg. miranda retulerint.* Sed ista quidem parùm movent.

Nam qui iſta de formicis & apibus legit, nihil amplius legit, quàm quod formicæ & apes agant voluntatem DEI ex naturali impetu ſine cognitione legislatoris. At hoc non erat in quæſtione. Illud verò, quod in quæſtione eſt, legere nemo apud iſtos autores potuit, cùm id non tradant, apes ſcil. & formicas agere ſecundum legem propriè dictam & ex obligatione. Impetu verò agere & ſecundùm legem agere ſunt oppoſita.

§. 86. Quod ſi porrò ea, quæ ex impetu naturali fiunt, pro Jure Naturali forent habenda, ea etiam omnia Juris Naturæ forent, quæ tamen omnium hominum conſenſu pro talibus habentur, quæ Juri Naturæ repugnant. Ita impetus naturalis quosdam homines impellit ad delicta voluptatis, ſcortationem, adulterium, ebrietatem &c. alios ad delicta avaritiæ: furta, rapinas, mendacia, calumnias &c. alios ad crimina ambitionis, homicidia, vindictas, injurias &c.

§ 37. Nec multum juvaret, ſi diceres, diſtingvendum eſſe inter impetum beſtiarum & impetum hominum. Hunc non facere Jus Naturale, illum facere. Nam hæc reſponſio nova dubia plura produceret. Initiô enim videretur potius dicendum eſſe, aut humanum impetum multò magis facere Jus Naturæ, ſi impetus beſtiarum id facit: aut ſi humanus impetus Jus Naturæ non eſt, nec impetum beſtiarum eſſe pro Jure Naturæ habendum. Quod ſi enim homo eſt nobilior creatura beſtiis, ejus natura quoque erit nobilior, & conſequenter hujus naturæ nobilioris inſtinctus non producet effectum ignobiliorem, quàm inſtinctus naturæ beſtialis. Si verò naturæ humanæ tanquam nobilioris inſtinctus ad Jus Naturale non eſt ſufficiens, multò minus Jus Naturæ faciet inſtinctus naturæ ignobilioris.

§. 38. At, fortè inquies, ſeparandum in homine eſſe inſtinctum naturæ rationalis, ab inſtinctu beſtialis, ſi quam cum beſtiis communem habet. Priorem in homine facere jus Naturæ, poſteriorem minus. Hic equidem nos facilè propius tibi accederemus. Sed diſſentientes illâ diſtinctione uti non poterunt. Quomodo enim illi inſtictui hominis rationali poſſent adſcribere Jus Naturæ, qui pro periculosâ ſententiâ habent

bent, quærere Jus Naturæ in dictatu rationis. Aut quomodo iidem instinctus hominis bestiales possent non habere pro Jure Naturæ, qui ingenere instinctus bestiarum pro Jure Naturæ ventilant.

§. 39. Sed tamen, ita fortè pergent, poterit instinctus bestiarum in bestiis esse Jus Naturæ [sc. bestialis] qui tamen in homine est contra Jus Naturæ, quia homo non debet esse bestia. Ita v.g. incestus inter bestias non datur, neque scortatio, neque adulterium; at inter homines instinctus aliter debet esse comparatus. Age videamus, an & hæc in universum procedant. Bestia quæ ex impetu suæ naturæ damnum dat, bos cornupeta ex instinctu suæ naturæ hominem interficiens an secundùm Jus Naturæ facit an minus? Si prius, cur homini domino bestiæ imputatur istud factum tanquam crimen vel culpa, i.e. tanquam contra Jus Naturæ? Si posterius, dabitur utique impetus naturalis in bestiâ Juri naturæ adversus.

§. 40. Fortè & hic dices, bovem quidem cornupetam hominem interficientem agere secundùm jus suæ naturæ, adeóque hoc factum non imputari Domino ejus; sed naturæ humanæ convenire, ut actiones naturæ bestialis nocivas aliis hominibus dirigat aut reprimat, atque adeò neglectum hujus officii imputari Domino. Hic verò, ut taceam, lege divinâ ipsum bovem cornupetam, hominem interficientem, juberi occidi, pareret hoc effugium novum dubium, quâ ratione scilicet fieri possit, ut Jus Naturæ humanæ repugnet juri naturæ bestialis, cum nullum Jus Naturæ contradicat alteri, & cum dissentientes velint, àb homine non reprimi debere ordinem aut instinctum naturæ in creaturis reliquis; sed potius conservari.

§. 41. Et ista quidem dubia contra veritatem istius fundamenti de Jure Naturæ in Ordine Naturæ quærendo sufficere poterunt. Circa adæquationem non minora occurrunt. Neq; enim omnis Ordo Naturæ est Jus Naturæ, neque omne quod ordini Naturæ adversum est, repugnat juri Naturæ, etsi fortè id concedere possimus, Jus Naturæ conservare ordinem pacificum & tranquillum naturæ. Quod non omnis ordo Naturæ sit jus

Naturæ, ex dictis videtur fluere, quatenus videlicet omnis ordo naturæ creaturarum infra hominem ad legem & jus propriè dictum non pertinet. Sed etiam facilè monstrari potest, non omne quod ordini naturæ adversum est, repugnare etiam juri naturæ, etiam si ipsum hominem ejusque naturam consideres.

§. 42. V. g. Ordo naturæ humanæ est, ut ore loquatur, manibus operetur aliquid, cibo per os in stomachum assumtô corpus nutriat, excrementa per partes posticas ejiciat. Quid magis huic ordini adversum est, quam per alvum assumere alimenta, per os ejicere excrementa ciborum? Et tamen Juri Naturæ non repugnat, si gutturis inflammatio prohibeat cibi assumtionem per os, hominem nutrire per clysteres; neque repugnat vomitum medicamentis provocare. Ut de manibus taceam, quæ scribendo oris vices supplent.

§. 43. Quod si tamen & verum & adæquatum esset hoc fundamentum, parùm tamen prodesset, si idem non esset evidens h. e. si non omni homini adulto ac sanæ mentis possit ostendi, hoc repugnare ordini naturæ, ergo esse jure naturali prohibitum; illud promovere ordinem naturæ, igitur esse præceptum. At præterquam quod ipsi dissentientes fateantur *obscuram esse homini & parum cognitam naturàm reliquarum creaturarum*, quid obscurius est, & difficiliori disquisitioni obnoxium, quid sit et in quo consistat natura humana. Dubitamus an duæ sint, an tres partes hominis, an fortè plures? Et in tantum dubitamus ac disceptamus, ut ad hæresin referamus alteram ex his sententiis, quia videlicet alteram ad articulos fidei retulimus, indicio, quod de partibus hominis nihil sciamus, sed unus alteri credamus. Quomodò verò sciremus, quid sit corpus hominis, quamdiu dubitamus quid sit corpus in genere? Quomodò sciremus, quid sit anima hominis, quamdiu dubitamus, quid sit spiritus in genere? Denique cùm ordinem naturæ dissentientes eundem esse cum fine velint, quomodò sciremus quis sit ultimus finis hominis, quamdiu dubitamus, an non & rubens in vitrô vinum, annon delicatus cibus, an non res Venerea, an

non

non honor & existimatio, an non divitiæ pertineant ad finem seu bonum hominis?

§. 44. Transeant tamen ista. Ordo vocabulum est, quod non solum Deum autorem agnoscit sed et hominem. Differunt tamen valde ordo naturæ & ordo humanus. Ille immobilis est certè intuitu hominis, soli arbitrio divino subjacens. At ordo humanus arbitrarius est ac mutabilis; perinde ut Jus Naturæ est immutabile, jus humanum mutabile. Jam, quæso quodnam signum evidens secernendi ordinem naturæ ubique ab ordine humano? immutabile â mutabili? Nihil notius, quàm consvetudinem esse alteram naturam. Attamen consvetudo talis semper ad ordinem humanum pertinet. An ergo simul erit Juris Naturæ, quatenus altera natura est consvetudo, simul vevero Juris arbitrarii, quatenus consvetudo ab hominibus ortum habet? Quid quod in quibusdam negotiis ordo humanus & ordo Naturæ seu divinus immixti sunt, qvalia rectè Grotius dicit esse juris naturalis non absoluti sed ex hypothesi. Ita etiam in ipsâ Scripturâ Magistratus dicitur modò ordinatio divina modò ordinatio humana. Ut taceam, depravatos mores hominum sæpè mentiri jus naturæ h. e. ordinem humanum haberi pro ordine naturæ. Sic apud omnes gentes veræ virtutes nomina vitiorum, vitia nomina virtutum nacta sunt. Prodigus liberalis dicitur; Avarus parcus & vice versâ. Crudelis severus, intemperans hilaris &c.

§. 45. Vereor autem, ne rem magis obscuriorem reddas, si cum dissentientibus distingvere velis *inter Virtutes Juris Naturæ & Juris Gentium, & Pacta & Contractus, item omnem penè justitiam ad Jus Gentium referas, temperantiam & veritatem vero ad Jus Naturæ.* (*vid. supra* §. *19.*) Nam præter alia dubia, quæ hic opponi possunt, daretur hôc pactô Jus Naturæ absque justitiâ, quod satis inconveniens videtur. Et, si omnia illa, quæ hominum facta præsupponunt, non essent Juris naturalis, sed Juris Gentium, vereor ut Temperantia circa cibum & potum Juri Naturæ remansura sit, cùm homines communiter cibô & potu utantur, non quales natura producit, sed artibus humanis præparatis. Qvin & Veritas

ritas quoad plurimos casus ad jus gentium referenda foret, si Pactorum & Contractuum observatio â Jure Naturæ exulare debeat, adeoque quid remaneret huic Juri Naturæ? Ut adeò ista sententia de hâc Juris Naturæ & Gentium distinctione nullum alium videatur præbere usum, quàm ut distinctio Juris æquivoca, Juris scil. Naturæ impropriè & propriè dicti efferatur per terminos divisionis univocæ, cum istud Jus Naturæ Juri Gentium hôc pactô contradistinctum nihil aliud sit, quàm instinctus naturalis & jus impropriissimè dictum, jus autem quod Gentium dicitur, jus Naturæ verè tale.

§. 46. Et quid opus est verbis? Ipsi dissentientes fatentur, istum ordinem esse principium obscurum, cum allatum sit (§. *20.*) *difficile esse exprimere, quâ ratione circa actiones naturales rectè sese gerere debeat homo ob depravatam per lapsum primorum parentum cognitionem rationis humanæ, ut usum ac ordinem omnium creaturarum non nisi quasi per umbram aliquatenus cognoscere possimus.* Nescio enim, an non satis apertè hic fateantur Fautores hujus principii, istam doctrinam saltem esse umbram verorum fundamentorum Juris Naturæ.

§. 47. Etsi verò facilè concedamus, *amorem esse unicum naturæ vinculum, eundemque unicum hominis affectum, in cujus rectâ gubernatione omnis virtus & verum honestum consistat*, nondum tamen apparet, quomodo ex cognitione amoris deducenda sit cognitio Juris Naturæ, cujus etiam participes sint reliquæ creaturæ omnes. An etiam in formicis & apibus, an in arboribus &c. datur ex mente dissentientium amor? Certè Scholastici, ex quibus gradus amoris deducuntur (§. *20. seqq.*) nonnisi amorem impropriè dictum agnoscunt in plantis & inferioribus creaturis. Unde & improprietas hujus Juris Naturæ iterum denudaretur.

§. 48. Quod si dicas, amorem uti unicum ita & unius seu potius solius hominis affectum esse, dubitare quis posset, annon Autores hujus sententiæ tradant suum Jus Gentium, dum tradere volunt Jus Naturæ, utpote quod â Jure Naturæ differebat, quod illud respiceret actus homini proprios; hoc actus toti naturæ creatæ communes. Quod si dicas, amorem diffusum esse

per

3/4.

per omnes creaturas, ſequeretur, eundem eſſe finem hominis & reliquarum creaturarum, adeoque etiam idem jus eſſe debere, & conſequenter bruta etiam committere adulteria & inceſtus uti homines.

§. 49. Imò, ſi Amor eſt fundamentum Juris Naturæ, ſi Amor eſt ille ordo propoſitus, nihil novi fuit adductum, ſed idem dixerunt jam alii, Cicero, Grotius, Pufendorfius, Cumberlandius, qui ex benevolentiâ communi humani generis, ſeu ex Socialitate Jus Naturæ deducunt. Socialitas enim eſt amor humani generis. Oſtendemus verò in iſtis octo gradibus amoris ſupra recenſitis nil niſi amorem hominum accuratè loquendo, fuiſſe adductum.

§. 50. *Primus* enim *gradus ſ. Amor Dei, per quem obligemur ad ejus cultum*, ipſis fatentibus (§.*21.*) non pertinet ad jus Naturæ, *cùm Jus Naturæ non præſcribat modum colendi, ſed hic dependeat ab ipſius Dei revelatione.*

§. 51. Quâ occaſione ſimul obſervo, quod defenſores illius hypotheſeos cognitionem Juris Naturæ non petant ex revelatione, (& rectè, ne videlicet confundant Jus divinum naturale cum Jure divinô poſitivô) ſed inde novum mihi oritur dubium. Unde ergo? Principia cognoſcendi homo non habet, niſi duo: Lumen Naturæ & Lumen Revelationis. Ergò non poterunt non petere ex lumine Naturæ. Lumen verò Naturæ eſt dictatum rationis. At verò ſecundum eos periculoſum & abſurdum eſt in dictatô rectæ rationis quærere jus Naturæ.

§. 52. Quod additur, (§.*21.*) *Modum colendi Deum dependere certô modô â diſpoſitione Majeſtatis civilis*, ſcil. ut intelligimus, circa Adiaphora, item *errantes circa cultum Dei mitius eſſe tractandos.* h. e. ut ipſi ſe explicant diſſentientes, *in cultu Religioſo, etiam aberrantes â verô commiſeratione quàm odiô digniores eſſe nec damnandos.* In eô quidem nos contra communem ſententiam habebunt conſentientes, ſed exinde tamen nihil afferri poteſt, qvod primus hic gradus amoris pertineat ad Jus Naturæ.

§. 53. Quare non intelligimus, qvando ſubjicitur (*ſupra* §.*12.*) *ſecundum hunc Amoris gradum, quantum ad Jus Naturæ*

attinet, omnem creaturam tàm in nobis quam extra nos adhibendam primariò ad gloriam Dei. Si enim *per amorem Dei obligamur ad Ejus cultum*, & colendi modum Jus Naturæ ignorat, non video, quomodò Juri Naturæ tribui posſit conclusio aliqua circa hunc Amoris gradum.

§. 54. Si verò urgeas, colendum eſſe Deum, dictari â Jure Naturæ, qvomodò colendus ſit, pertinere ad Jus Poſitivum, reponimus, quod ipſi diſſentientes alibi habent, *ad Jus Naturæ non referenda eſſe æternæ veritatis Principia* v. g. *bonum ſectandum, malum fugiendum*, (Deum eſſe colendum:) *Hæc enim, utut in ſe vera ſint, propriè jus non inducunt, ſed ſaltem ſunt notiones ſive propoſitiones jus aliquod præſupponentes, cum ex eô, quod ſciam, bonum eſſe ſectandum* (Deum eſſe colendum) *non poſſim in hypotheſi concludere, quid bonum quidve agendum*, (quomodo Deus colendus) *ſit*. Unde ſuô locô oſtendit Dn. Præſes, principium practicum: Deo eſſe parendum, ex quô deducitur omnis cultus Dei, antecedere Jus Naturæ. Vid. *Inſtit. Juriſprud. L. 1. C. 3.* §. *41. ſeqq.*

§. 55. Aut ergò iſta adhibitio creaturarum ad gloriam Dei Jure Naturæ dicta, pertinet ad modum colendi Deum, aut non pertinet. Si pertinet, falſum eſſet, Jus Naturæ nihil præſcribere de modô colendi Deum; ſi non pertinet, ex Amore Dei homo ad aliud qvid præter ejus cultum obligatur, quod tamen pertinet ad Ordinem Naturæ tanquam fundamentum Juris Naturæ. Nihil tamen hoc præceptô lucramur in Jurisprudentia naturali, ſi id non intelligimus.

§. 56. Gloria Dei haut dubie ab ejus voluntate dependet; aut ſi mavis, ex ejus natura, non ex naturâ ſeu voluntate hominis. Naturam Dei tanquam Entis imperſcrutabilis multò minus novit homo lapſus, quàm naturam creaturarum reliquarum, ergò nec novit citra revelationem modum, quem Deus in uſu creaturarum ad ſui gloriam adhiberi vult. Unde iterum hoc præceptum pertineret ad Jus Poſitivum, non naturale. Neque enim dici poteſt, creaturas ſecundùm ordinem ſuum & finem eſſe adhibendas, quem tamen homo non cognoſcit. Et eſſet hoc petitio principii aut diductio in circulum.

§. 57.

§. 57. Nobis sanè periculosum videtur, gloriam Dei, separatam ab amore hominum, inculcare hominibus tanqvam peculiare præceptum Juris Naturæ, cum hôc pactô nihil aliud conseqvamur, quàm contemtum nominis divini ejusque abusum, ad quem homo jam suâ sponte pronus est. Quotusquisque enim vel in actibus voluptatis, vel avaritiæ, vel ambitionis, non in nomine Dei eosdem suscipit, aut exinde in Deum gloriam aliquam redundaturam esse sibi non persvadet? Hos verò, quomodò citra scripturam erroris convincas, nisi ostendas, eorum actiones turbare amorem humani generis.

§. 58. Quod igitur *secundum gradum amoris concernit, qui in amore animæ nostræ ad commodè transigendam vitam & affectus corpoporis secundùm rectam rationem dirigendos ponitur, (supra §. 22.)* initio obscurius positum est, an commoda vita sit diversum quid ab ea, quæ habet affectus sedatos. Nam si ut diversum quid proponeretur, cavendum esset, ne quis sub vitâ commodâ intelligat vitam ex cibô & potu aut aliarum rerum abundantia delectationem capientem, quæ profectò non esset cura animæ, sed corporis directioni affectuum maximè noxia.

§. 59. Deinde quod additur: *hominem consequi summum bonum morale, si anima secundùm ordinem naturæ & rectam rationem dirigat affectus*, uti quidem suô modô verum est, ita tamen non senserunt Autores hypotheseos, lectorem in circulum duci: Fons Juris Naturæ est ordo creaturarum. Ordo creaturarum difficulter cognoscitur. Cognoscitur tamen ex gradibus Amoris. Inter illos est amor animæ. Hôc amore curandum est, ut anima dirigat affectus. Directio affectuum debet fieri secundùm ordinem Naturæ. Vides, quod iterum in puncto circuli simus, unde discessimus.

§. 60. At tamen *ordini naturæ* hic adjecta est *recta ratio*. Benè. Hæc ergò vel eadem cum ordine naturæ, vel diversa. Si eadem, eadem manet circumductio in circulum; si diversa, falsum est, cognoscendi principium in Jure Naturæ solum esse ordinem Naturæ, cum ipsi Autores ita fateantur, præter ordinem Naturæ, rectam rationem esse principium evidentius. Semper

 tamen

tamen hic ipsismet obstabit, quod de incertitudine rectæ rationis posuerunt (§. *18*.)

§. 61. Porrò cum dicitur: *Summum bonum morale esse constantem voluptatem animi, quæ secundùm Epicurum rectè consistat in vita secundùm naturam & carentia doloris*, pauca quidem dubia hic contrà habemus, nisi quod melius esset, in gratiam discentium, qui, dum Epicurum audiunt, magis in mente habere solent Epicuri de grege porcos, admoneri, per vitam secundùm naturam non intelligendam esse vitam omnibus rebus abundantem, quas naturalis homo concupiscit, & per carentiam doloris, non intelligi dolores, qui oriuntur ex carentia cibi delicati, vini, fœminarum, honoris, pecuniæ, sed intelligi dolorem positivum ex vulneratione v.g. oriundum. Epicurus enim erat pocillator aquæ & comestor leguminum, aut panis, nullâ pecuniâ abundans, nullâ dignitate conspicuus.

§. 62. Eâdem admonitione opus erit, cum Epicuro *Salomon* fortè non ita commodè jungitur, *hominem nil melius habere asserens sub sole, quàm edere, bibere & gaudere*. Nam monendum maximè, ne discentes istam conjunctionem Salomonis cum Epicuro legentes cogitent de Symbolô Sardanapali Epicurei ante Epicurum: *Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas*. Unde mallemus, non omissum fuisse, quod Salomon addit non sine causa; Homini nihil melius esse, quàm gaudere *in omni suo labore*. Loquitur enim de esu & potu cum gaudio non otiosorum hominum, & qui vivunt, ut edant & bibant, sed eorum, qui edunt, ut vivant, & qui in labore suo gaudent, non qui post labores paucos sardanapalizant.

§. 63. In *tertio amoris gradu*, qui suprà ponebatur in *amore animi proximi* (§. *23*.) mallemus, quod iste non in cultura sola intellectus proximi fuisset absolutus. Dum enim dicitur: *Animam ab initio esse instar tabulæ rasæ, hinc quemque obligari, ut animus proximi probè informetur*, id non nisi de intellectu hominis intelligi potest; nam intuitu Voluntatis hominis anima non est instar tabulæ rasæ, sed à primo vitæ momento anima gaudet suis

affectri-

affectibus ab aliorum hominum educatione, vel exemplô non dependentibus. Et curandum adeò magis, ut Voluntas proximi emendetur, quàm ut ejus intellectus, cum facilè quis videat, quid bonum aut malum sit aliis, suum autem malum ferè pro bono habeat. At hæc cura etsi summum beneficium sit, quod alteri exhibere possumus, & communiter tamen negligitur, & communiter, etiam à docentibus, quod mireris, habetur pro summa injuriâ.

§. 64. Illud autem concoquere non possumus, (absque ira tamen,) quod additur (*d. §. 23.*) *Elingve, nudum & ad omnem societatem ineptum, imò animal, quô nullum miserius esset, si citra aliorum curam viveret, etiam hominem futurum fuisse, etiamsi in primævo statu permansisset.* Quid enim? An Adam antequam Eva crearetur, tale miserum animal fuit? & quis ejus Magister? An Eva loqui didicit ab Adamô, an ejus animus ad vitam rectè transigendam & naturæ ordinem observandum probè ab Adamo informatus est? An non infantes, si qui in statu primævô fuissent nati, æquali perfectione animi fuissent præditi, quâ à primâ creatione gavisi sunt primi parentes?

§. 65. Sed, ais, ista tamen sententia *non ineptè colligitur ex exemplo ipsius Salvatoris, qui non ab initio omnibus ad vitam necessariis animi donis instructus cum ætate demum profecerit, & corroboratus fuerit Spiritu ac impletus Sapientiâ.* Veremur, ne alii vehementius adversus hanc doctrinam insurrecturi, & tristius aliquod crimen latere clamaturi sint. Nobis verò, qui cum dissentientibus sentimus, *aberrantes à verò etiam in rebus divinis magis commiseratione quàm odiô dignos esse*, sufficiat, si ostenderimus, istam collectionem parùm aptam esse: partim quod à statu Salvatoris in exinatione ad statum hominis integri non valeat illatio, cum Christus assumserit imbecillitatem carnis nostræ, sed absque peccato, *Rom. VIII. v. 3. Hebr. II. v. 14. C. IV. v. 15.* partim quod horreamus dicere, Christum ab initio non omnibus animi (i. e. Voluntatis) donis ad vitam necessariis instructum fuisse. Nam etiam aliquis, qui jam necessaria possidet, in iis augmentum capere potest; partim denique, quod isti profectus Salvatoris in Spiritu

& ſapientiâ non attribuendi ſint, curæ humanæ, ſed originem debeant Spiritui Sancto, in ipſo quoad plenitudinem inhabitanti. *Coloſſ. I. v. 19.*

§. 66. *Quartum* amoris *gradum*, fatemur nos non intelligere, & in quo conſiſtat ille *amor univerſi, ut tota natura, quantum in nobis ſit, conſervetur, id quod in ſtatu civili adumbretur amore Reipubl. (vid. ſuprà §. 24.)* Homo enim ne pediculum quidem conſervare poteſt. Quod ſi intelligatur uſus omnium creaturarum ſecundùm ſuos fines, pertineret hoc ad primum gradum, non demum hic ad quartum (*conf. ſuprà §. 53.*) id, quod etiam patet ex amore Reipubl. hic in exemplum adductô: qui uti præferendus eſt utilitati & amori privato; ita & iſte amor univerſi anteponendus foret amori ſingularum creaturarum. At tùm eadem hic monenda forent, quæ jam ſuprà de gradu amoris primô diximus. *d. §. 53. ſeqv.*

§. 67. De *quinto gradu & amore vitæ noſtræ*, quod moneamus, nihil habemus, niſi quod non videam, quomodo connecti poſſit cum gradu tertio. Si enim demum in quinto gradu *pro vitâ propriâ defenſionem ſuſcipere poſſumus etiam cum periculo & jacturâ vitæ alienæ (vid. §. 25.)* & amor animæ proximi tanquam in tertio gradu poſitus amorem vitæ noſtræ præcedit, ſequeretur, innocentes & ex juſto errore vitam noſtram impetentes, item claudos, infantes innoxios, fugam noſtram innocenter impedientes juſtè pro ſervandâ vitâ interfici poſſe, ſceleratiſſimum nequam & latronem, ut evitetur ejus animæ periculum, non poſſe, quod quomodò cohæreat, non videmus.

§. 68. Quoad *ſextum gradum*, qui ſuprà (§. 26.) ponebatur in amore vitæ proximi, etſi concedamus illationem, quod *nemo habeat jus occidendi hominem niſi hoc ipſi à DEO conceſſum ſit, vel vi ipſius ordinis naturæ, vel vi legis per expreſſam ſanctionem latæ*, i. e. non licere hominem interficere, niſi quatenus concedat Jus naturale aut divinum poſitivum, non tamen conſentimus in ſubjuncto exemplo, quod non liceat *ob furtum aliquem ſuſpendere* aut *interficere*, &, ſi Achillea ſunt *argumenta, quibus hanc pœnam oppugnavit Bachovius*, recordandum erat, Achillem absque arte & labore à Paride ſagittâ in calcaneô fuiſſe interemtum.

§. 69.

§. 69. Circa *amorem bonorum nostrorum*, qui *gradus septimus* amoris ponebatur (§. 27.) monendum, hunc amorem, si abstrahatur ab amore animi & vitæ nostræ, aut proximi nostri, & ut distinctus amoris gradus consideretur, esse amorem irrationalem, cùm bona omnia, quæ bona fortunæ dicuntur, sint bona impropriissimè dicta, nisi quatenus vitæ humanæ inserviunt. Unde & rectè subjungitur, *tùm demum defensionem rerum nostrarum cum cæde invasoris licitè suscipi, si per earum subtractionem adducar in præsens vitæ periculum*, indicio, hoc exemplum non illustrare septimum hunc amoris gradum, sed quintum.

§. 70. Quod autem admiscetur, *Dominii originem esse Juris Naturæ & communionem primævam jam dudum ab aliis esse explosam, tanqvàm impossibilem & contra ordinem naturæ*, id tàm diu nobis persvaderi non patiemur, quamdiu rationibus non est responsum, quibus in *instit. Jurispr. div. L. 2. C. 10. §. 30. seqq.* ostensum, hanc sententiam impingere in prima Philosophiæ Moralis rudimenta ac definitiones Juris ac Dominii. Ut taceamus, parùm cohærere hanc assertionem cum illa, quam supra tetigimus, quod Pacta non sint Juris Naturæ, sed Juris Gentium, cum tamen Pactorum usus etiam possit esse in communione aut, citra respectum ad bona fortunæ, intuitu bonorum corporis ac animi, Dominii verò usus inter plures sine commerciis, adeòque sine Pactis nullus sit, aut certè exiguus.

§. 71. *Octavum* verò *gradum* amoris nollem dicere *amorem bonorum proximi*, si huc pertinere debet, *quicquid in Decalogi 7, 8, 9. præcepto jubetur & prohibetur. (vid. 28.)* Nam ex amore bonorum proximi oriuntur furta, fraudes, mendacia, rapinæ. Qui verò inculcatur in dictis præceptis amor, est amor vitæ & animæ proximi declarandus per actiones circa ejus bona. Quare hic gradus nequaquam separandus est à gradu tertio & sexto.

§. 72. Uti verò per hactenus dicta probavimus satis assertum nostrum, (*suprà* §. 49.) octo illos Scholasticorum gradus amoris, quatenus ad Jus Naturæ pertinent, nihil solidi continere, nisi amorem hominum seu socialitatem; ita causam non videmus, cur Autores hypotheseos de Ordine Naturæ *nonum gradum* prioribus

bus superaddant, *amorem videlicet cujusvis creaturæ separatim consideratæ* (*vid. suprà* §. 29.) Cùm enim hic gradus sit idem cum gradu Scholasticorum quartô, & jam ostenderimus, istum quartum gradum coincidere cum gradu primo, documento nobis id esse poterit, quàm insufficiens sit hæc doctrina de gradibus amoris ad illustrationem doctrinæ de ordine creaturarum, cum idem gradus modò dicatur esse reliquis omnibus præponendus, modò in medio collocetur, modò postponatur reliquis omnibus.

§. 73. Et ni fallor, ipsi Autores hujus hypotheseos incertitudinem ejus, atque obscuritatem iterum satis apertè confitentur, dum (§. 29.) subjiciunt: *ad hunc ordinem ritè observandum vires totius naturæ & singularum creaturarum usum ac finem naturalem scire & cognoscere deberemus, quam summam cognitionem in Adamo amissam assequi non possumus.* Quâ occasione tamen simul id annotamus, si cognitio ista summa in Adamo amissa fuit, sequitur, quod Adamus ante amissionem illam habuerit. Si habuit, à nullo hominum haurire illam potuit, nisi Præ-Adamitas statuere velimus. Si habuit, & à nullo homine hausit, habuit à Deô. Si habuit à Deô, falsum est, quod & jam supra §. 64. impugnavimus, hominem, si citra aliorum curam viveret, etiamsi in primævo statu permansisset, futurum fuisse elingve, nudum, & ad omnem societatem ineptum, imò talè animal, quô nullum miserius esset.

§. 74. Etsi igitur addatur: (*suprà* §. 29.) *Licet assequi non possimus summam istam cognitionem in Adamo amissam, attamen nos, quantum in nobis est, eò niti debere, ut nullam creaturam ex ordine suo turbare debeamus*; non videtur tamen mihi ista de incertitudine hypotheseos confessio propria hoc pacto salvari posse aut infringi. Esset enim reverà adhortatio discentium, ut anniti deberent ad id, quod consequi non possunt, h. e. ut laborem frustraneum suscipiant, aut quod in proverbio est, Æthiopem abluant. Quod si fortè afferretur, non esse scientiam hanc amissam in totum, sed saltem quoad *summitatem perfectionis*, qualis in Adamo fuit, parùm tamen id adjuvaret ipsam hypothesin. Debuissent enim poni ab Autoribus hypotheseos ista fundamenta, ex quibus ista

cogni-

cognitio *in tantum* saltem addisci posset. Quô non factô, manet illa hypothesis incerta & dubia.

§. 75. Videmus quidem ultimò, quasdam conclusiones ex istis principiis afferri (§.30.) scil. *contra Jus Naturæ peccari, si quis fructibus arboris utatur non ad usum à natura destinatum, si quis volucres, pisces aliave animalia extra ordinem naturæ necet.* Sed ex istis conclusionibus nemo eruditur, qui nescit determinationem casuum, quando scilicet fructus arborum contra usum à natura destinatum usurpentur, aut quando animalia contra ordinem naturæ necentur, quod tam diu nescire habet necesse, quamdiu nulla norma ostenditur, ad quam cognitio de ordine creaturarum expendatur.

§. 76. Ad hominem hic disputamus. Nam quomodo ex nostra hypothesi de primis principiis practicis & custodiâ Socialitatis, tanquam fundamento Juris Naturæ doctrina de usu & abusu creaturarum debeat exponi, dictum jam est *in Instit. Jurispr. div. L. 2. C. 10. §. 20. & seqq.* juncto *L. 1. C. 4. §. 77.* Unde simul patebit, nec id sine monito esse dimittendum, quando exindè ultimò infertur, *quod verum adeò sit, hominem etiam in bruta delinquere & injuriosum esse posse, Prov. XII. v. 10. Deuter. XXII. v. 1, 4, 6.* Nam id quidem in dictis Scripturæ locis non asseritur, sed quod debeamus proximo etiam succurrere intuitu bestiarum ejus, quod debeamus avem matrem non simul cum pullis eximere è nidô, sed matrem dimittere, quod justus etiam misericordiam exerceat erga pecus suum. Quod si hæc quis non faciat, injuriam non facit bestiis, sed homini cujus sunt bestiæ, sed DEO, qui talia præcepit.

§. 77. Et ita quidem obscuram atque incertam putamus esse hanc hypothesin, ut ex ea dubiæ reddi possint sententiæ circa moralitatem actionum, de quarum moralitate nemo dubitat. Quid enim: an v. g. licebit Jure Naturæ vinum bibere? Sanè vinum non est creatura, sed res arte facta. Ante Noachum vini usus in potu nullus erat *Gen. IX. v. 20.* ergo tùm ex ordine Naturæ aquam potabant homines. Igitur contra hunc ordinem vinum introductum est. An licebit navigare? Est contra ordinem

dinem naturæ, ut homo transeat aquam, & in aqua quasi degat. An licet lapidem sursum projicere? Est contra ordinem naturæ. Lapis enim naturâ suâ, ut omne corpus grave descendit, non adscendit. An licebit fornacibus uti noviter inventis fumum quasi absorbentibus, in quibus flamma contra ordinem naturæ descendit? &c.

§. 78. Potissimùm verò in causis matrimonialibus, quorum gratiâ hactenus eam hypothesin discusſimus, vix videtur eadem sufficiens fundamentum præbere, cui tutò inniti posſis, sed modò dicta quæstiones jam satis intricatas magis dubias reddere. Ita fatemur, nos non intelligere, quando ex illa hypothesi infertur, *quod Pontifex, dum meretricem ex lupanari ducere commendat, pium patientiæ studium inculcet, quod ad summum fortè amoris gradum sit referendum.* Non enim percipimus, quô pactô factum ejusmodi in istis octo aut novem amoris gradibus hactenus recensitis ad cultum DEI, aut etiam amorem animæ nostræ, qui suprà constituebantur summi gradus amoris, referri posſit.

§. 79. Ita cum dicitur porrò: *Jus Naturæ in linea recta propter ordinem naturæ & reverentiam parentibus à liberis debitam prohibere,* initiò dubites, an reverentia hic sit nova & diversa ratio ab ordine naturæ, an eadem. Si prius assumas, Jus Naturæ præter ordinem naturæ adhuc alia habebit fundamenta; si posterius, dilucidè fuit ostensum à Dn. Præsid. *in Instit. Jurisprud. div. Lib. 3. C. 2. §. 230. seqq.* ex reverentiæ debitô infirmum contra hunc incestum strui argumentum. Videntur autem dissentientes per ordinem naturæ hic diversum quid à reverentiæ debitô intellexisse, scil. diversitatem ætatis. Sed hanc non esse causam incestûs hujus prohibiti, exinde patet, quod v. g. homo circiter quadraginta annorum, si ducat fœminam viginti annorum non turbet ordinem naturæ: at ea ætatis differentia potest esse inter quendam patrem & quandam filiam, & tamen incestus manebit.

§. 80. Porrò video equidem, quod ex illo ordine naturæ ad matrimonium applicatô deducatur ista conclusio: *Senem enervatum cum puella matrimonium inire non posse, & hinc cum tali adulterium non committi.* Sed contrà tamen pro matrimonio senum disse-

disseruit Dn. Præses *d. l. §. 188. 196. seq.* & si fidem seni dederit puella, adulterium utique committetur, quia adulterium est violatio fidei conjugalis. *Confer. 1. Reg. I. vers. 2, 3, 4. junct. Cap. II. v. 17. & 22.*

§. 81. Ulterius asseritur equidem, *quod nemo dubitet, matrimonium esse Juris Naturæ*, uti nec nos dubitamus, accipimus tamen rationem dubitandi exinde, quod subjungitur: *Non concubitum neque nudum consensum, sed consensum ritè factâ traditione facere matrimonium.* Nam si per pactum initur matrimonium, matrimonium ex illa hypothesi non erit Juris Naturæ, utpote cum supra inculcatum fuerit, Pacta non esse Juris Naturæ, sed Juris Gentium.

§. 82. Vellem autem scire, quomodò ex ordine natnræ demonstretur, quod traditio requiratur ad essentiam matrimonii. Nam à Dominio rerum ad jura personarum nulla est illatio firma. Fides conjugalis non est res in commercio. Et si esset, cur non æquè matrimonium possit referri ad contractus consensuales, quàm ad reales. Promittitur in sponsalibus de præsenti fides conjugalis absque tamen traditione, cur non ergò in sponsam ejusmodi posset committi adulterium? *Conf. Deut. XXII. v. 23.*

§. 83. Ex dictis verò simul patet, quàm convenienter defendatur ex ista hypothesi communis quorundam sententia: *Si duo sponsalia de præsenti vulgò dicta publicè sint celebrata, posteriora præferri, si his accesserit benedictio Sacerdotalis, non quidem propter hanc, sed propter traditionem ritè factam, quæ illam concmitetur, licet etiam prioribus accesserit concubitus.* Quemadmodum enim hanc assertionem contra Carpzovium eruditè impugnavit Illustr. Dn. Ordinarius Strykius *in Dissertat. de Concursu Sponsaliorum c. 2. n. 22. seq.* & ad fundamentum ejus jam responsum est §. anteced. ita & adversus eam pronunciavit mense præcedente Facultas Juridica Halensis unà cum Facultate Theologica Paderbornam versus.

§. 84. Sufficere ista poterunt de hypothesi istâ peculiari de Jure Naturæ. Præter Jus Naturæ verò ex Jure divino positivo universali multa deduxit Dn. Præses in causis matrimonialibus

Instit Jurispr. Div. Lib.3. Cap. 2. & 3. per integr. Postquam enim multa, quæ in causis matrimonialibus haud dubiè divinæ voluntati non conveniunt, Theologi & JCti ad Jus Naturæ ejusque prohibitionem retulerant, præter Jus Naturæ nullum Jus divinum positivum universale agnoscentes, & verò hoc seculô in quæstione de polygamia defensores ejusdem satis evidenter ostenderent, polygamiam Juri Naturæ non repugnare, cogebantur Theologorum & JCtorum prudentiores, ut defensoribus polygamiæ eò fortius resistere possent, ad Jus divinum positivum universale refugere, quam Juris divini speciem jam suo tempore Grotius inculcaverat *de J. B. & P. L. I. C. I.* §. *15.* neglectam tamen fere hactenus, vel etiam à plerisque commentatoribus oppugnatam. Plures Dd. hanc Juris divini speciem agnoscentes citat Brucknerus *Decis. Matrimon. Dissertat. procem. n. 26.* Cum verò nemo accuratam hujus Juris à Jure Naturæ differentiam tradere aggrederetur, tentavit Dn. Præs. *in Instit. Jurisprud. Div. L. I. Cap. 2.* §. *119. seqq. & Cap. 4.* §. *79.* has species perspicuè & evidenter à se secernere.

§. 85. Etsi verò B. Brucknerus in *d. Dissert. procem. n. 38. seqq.* istam Juris divini speciem rejecerit, & aliquot rationes congesserit, quæ eam impugnare videantur, cur tamen non opus arbitramur, ut in responsionibus ad has objectiones nos detineamus, causæ datæ sunt *in Not. ad Instit. Jurisprud. Div. d. l. lit. c.* Et jam quidem his responsionibus adhuc minus est opus, postquam JCtus Lipsiensis Dn. Georg. Beyerus *in erudita Dissert. de Dispensatione circa matrimonium intrà gradus consangvinitatis & affinitatis prohibitos* §. *44.* nuperrimè id fecit.

§. 86. Et senserunt quidem jam ante motas istas de polygamia controversias aliquot eruditi, quod ex regulis justitiæ, sive ex communibus hypothesibus Juris Naturæ quæcunque etiam illæ sint, non omnes actus, qui in causis matrimonialibus censentur Christianis esse interdicti, possint demonstrari. Quoniam tamen tùm temporis lex divina positiva universalis adhuc negligebatur, in defectu ejus ad pudorem confugerunt, quoniam partim in communi locutione, partim etiam in LL. Justinia-

nia-

nianeis quædam conjunctiones dicuntur repugnare pudori naturali. Et disertè Paulus JCtus in *l. 14. §. 2. ff. de R. N.* ait, *in contrahendis matrimoniis naturale Jus & pudorem inspiciendum esse, contra pudorem autem esse, filiam suam uxorem ducere.* Unde haud dubiè communium errorum defensores occasionem sumere solent dissentientes gravium criminum & violati pudoris naturalis accusare. *Conf. suprà* §. *6.*

§. 87. Primus autem distinctam pudoris in causis matrimonialibus â Jure Naturæ naturam tradere aggressus est Lambertus Velthuysius Medicus Belga vir inquirendæ veritati maximè deditus, sed in cognoscendis erroribus facilior quam in consequendo vero. Edidit is anno hujus seculi 51. *Dissertationem Epistolicam* tecto nomine *de principiis justi & decori, continentem Apologiam pro tractatu Hobbæi de cive.* Summa principiorum ejus eò redit. Quæcunqve naturâ suâ ita sunt comparata, ut finem „ in creatione mundi à Deo intentum impediant, illa omnia „ jure naturali prohibita sunt. Sine quibus verò iste finis obtineri „ non possit, illa omnia jure naturali sunt imperata *d. differt.* „ *p. 14.* Res mediæ inter hæc duo sunt moraliter indifferentes, „ *(p. 19.)* & juris positivi objectum. *(p. 27.)* Istum autem finem „ ut in lucem proferat, dicit: Illa â Deo intenta esse & homi- „ nem exequi velle, qvæcunqve ex *creatione mundi* & *ordine* in eo „ constituto homo judicet à se necessariò agenda vel omittenda, „ nisi insignis aliqua disconformitas extitura sit inter suam actio- „ nem & illam, ad qvam *ordo mundi* ipsum dirigat. Cùm enim „ mundus in sapientiâ sit ordinatus, & homini partes agendi in „ hoc universo assignatæ, *ordo ille* necessario homini indicare „ debet, qvodnam cujusq; in agendo sit officium *(per §. 28. seqv.)* „

§. 88. Vides hac occasione jus mundi & ejus ordinem, jam jam ab hoc Autore pro fundamento juris naturalis venditari, cum hac tamen inter alias differentiâ ab hypothesi superius excussa, quod Velthuysius Jus Naturæ non statuat aliis creaturis infra hominem esse commune, sed soli homini proprium, ut patebit ex mox dicendis, in qvo nobiscum sentit; tùm verò qvod Autores, cum qvibus superius egimus, fateantur plus una vice, hanc

 hypothe-

hypothesin de ordine naturæ esse valdè obscuram & inevidentem, in qvo laudem merentur, Velthuysius verò, dum eam exponere hic vult, obscurum exponat per æque obscurum, finem mundi per ejus ordinem, quod haud dubiè non fecisset, nisi putasset, ordinem naturæ esse rem valdè perspicuam atqve omnibus patentem, in qvo tamen cum postulet aliqvid, qvod omnes homines sentiunt aliter se habere, non est, ut nos detineamus, aut distinctiones, qvibus istum ordinem naturæ (cum de pedum usu usurpatione rhedæ interceptô, & mammillarum usu â delicatis fœminis infantibus denegatô sibi ipsi objectionem format *p.35. seqv.*) limitat & restringit *p.38. seq.* curatius examinemns.

„ §. 89. Dividit autem officia hominis in officia hominis in „ Deum, de quibus agit *p.30.* officia hominis in seipsum *p.32. seq.* „ & officia erga proximum *p. 98. seq.* Officium hominis erga „ Deum, seu cultum naturalem ita ex creatione mundi deducit „ *p. 30.* qvod homo inde agnoscat Dei sapientiam, potentiam, „ justitiam. Se ipsum verò cum contemplatur homo, ante „ omnia in se deprehendere summum studium se conservandi „ salvum & incolumem, cui studio inserviant appetitus edendi, „ bibendi, vindictæ, affectus amoris & doloris, deniqve omnes „ animi passiones; item totius corporis fabrica, & organorum „ subordinatio. *p.33.* Atque ex hoc studio se conservandi postea „ omnia officia juris naturalis erga se ipsum, tum & erga alios „ homines *p. 98. seqq.* deducit. Quapropter & hoc principium de conservatione sui subinde primum principium juris naturæ citat, ut adeò ordo naturæ & conservatro sui ipsius videantur æquè latè patere: qvamvis valde obscurum sit, qvomodo ex conservatione sui officium hominis erga Deum deducatur. Quod dubium & ipse fortè sensit, unde in ultimâ editione hujus dissertationis, quæ est *part 2. Operum p. 961. seqq.* istam curam conservandi se ipsum *p. 968.* officiis hominis erga Deum, qvamvis satis contortè immiscet, eamqve his verbis inter cognitionem de Dei sapientiâ & omnipotentiâ interponit: *At quandoquidem in me experior tale studium me conservandi, ut illud nec â me sit ortum, & tamen tàm altè mihi sit insitum & inclusum ut ita dicam sangvine & medullis,*

dullis, ut illud nec ejici nec evelli à me possit, rectè inde concludo, illum instinctum à Deo esse, & rectè facere, si illi pareain.

§. 90. Patet igitur, eandem esse hypothesin autoris cum hypothesi Hobbesii, qvam & apertè in dictâ dissertatione defendit vel potius emollit. Cùm enim Hobbesius istam fundamentalem legem ex jure omnium in omnia & statu belli universalis deducat, Velthuysius eam ex consideratione sapientiæ divinæ & ordine ac fine hominis derivat. Quare etsi Hobbesiana ista fundamenta jam diu à Pufendorfio, Cumberlandio, aliisq; viris eruditis prostata sint, non tamen firmiter prostrata esse censeri poterunt, si non fulcrum hoc, qvod desperatæ causæ Hobbesianæ suffulcit Velthuysius, destruitur.

§. 91. At qvid multâ curâ hic opus? Ipse autor fulcro utitur ad fulciendum minimè apto, cum ratio, qua curam illam se conservandi probare vult, nihil evincat. Nam in primâ editione *p.33.* nihil ampliùs affert, qvàm qvod cura conservandi nos nobis insit. Inest verò etiam hominibus cupiditas voluptatum, divitiarum, honoris, h. e. libido, avaritia, ambitio. An ergò & hæc erunt fundamentum Juris Naturæ? Qvæ fortè sentiens Velthuysius *in operibus d. l.* addit limitationem: illa videlicet à Deo esse, quæ nec à me sint orta, & tamen altè mihi insita & inclusa sangvine & medullis, ut illa nec ejicere nec evellere possim. Nos tamen nihil mutamus. Et propositionem etiam sic formatam negamus. Nam & sub eadem subsumere possumus omnia tria vitia, qvæ tamen à Deo non sunt. Non proveniunt ea à nobis, i. e. non acqviruntur post nativitatem ex libertate voluntatis nostræ, sed à prima origine nobis insunt. Hærent in sangvine & medullis, nec evelli à nobis possunt, qvod firmiter probavit Dn. Præses in der Ausübung der Sitten-Lehre *Cap. ult.*

§. 92. Et præterea cum homo ipso Velthuysio fatente, pluribus cupiditatibus & affectibus sit præditus, bonis & malis, qvos inter cum plures boni esse poterunt, videri debebat ante omnia, qvinam effectus sit inter reliqvos præcipuus. Unde falsa est etiam ex hoc capite illatio. Indidit Deus homini curam se conservandi, qvod sanè fatemur, (etsi id non probetur per rationes

Velt-

Velthuysii) E. hæc cura est fundamentum juris naturæ. Indidit etiam Deus homini amorem aliorum hominum seu socialitatem, cui cum potius inserviat cura se conservandi, qvàm curæ huic amor, ut latius probavit Dn. Præses in *Instit. Jurispr. div. L. I. C. 4. §. 76. & II. C. 2. &* in der Einleitung zur Sitten-Lehre *C. 8.* inde socialitas potius fundamentum juris naturalis est, qvàm cura sui ipsius.

§. 93. Sed ut ad pudorem pergamus, distingvit Velthuysius peccata contra officium hominis erga seipsum in duas classes, ut alia dicantur peccata *contra naturam strictè* loqvendo, alia contra *decorem hominis naturalem*, qvia cum hominis dignitate non congruant (*p. 41.*) Priora dicuntur, in qvibus est deviatio ab illo fine, ad qvem propriè ille appetitus (nos conservandi) nos ducit: qvòrsum refert appetitum voluptatis libidinosæ, qvem non magis dubitat homini à naturâ inditum esse qvàm affectum amoris, iræ, audaciæ &c. Sic tamen ut homo non debeat mutare objectum & finem isti affectui à Deo ordinatum, quod objectum in hoc affectu sit compar & adjutrix mulier & finis liberorum procreatio. (*p. 42. 45.*) In senibus tamen illam copulam damnari non posse, non magis qvàm cupiditatem vindictæ in homine infirmo, qvi noverit suas vires impares esse ad propulsandum malum, justè tamen eum irasci, qvia acceperit injuriam. Ita & senem appetere posse copulam, qvia objectum adest ejus appetitus scil. mulier, licet sciat se finem non posse asseqvi. (*p. 41. 46.*)

§. 94. Hic nescimus, an non his fluctuationibus Velthuysius totam suam hypothesin destruat. Dixit ex *ordine* & *fine* rerum derivandum jus naturæ. Dixit: affectus libidinosi finem esse procreationem sobolis. Dixit, senem non posse obtinere finem, & tamen dicit, senem non peccare contra jus naturæ, qvia adsit objectum affectus. Unde facilè quis & scortationi possit patrocinium sumere, qvia & scortator seqvestrato fine objectum hujus affectus deperit.

„ §. 95. Non tamen hoc admittere vult Velthuysius, & „ negat voluptatem ipsam libidinosam finem esse posse ipsius appe-

appetitus, cum nulla voluptas, qvæ affectus comitetur, possit „
esse finis eorundem aut objectum, qvamvis voluptas possit in „
rebus & actionibus, quas nos ultro facimus, qvando lubet, ra- „
tionem primarii objecti & finis obtinere, ut in ambulatione „
voluptatis gratiâ institutâ. Unde ad hæc peccata, quibus ho- „
mo in se ipsum peccat i. e. contra naturam strictè loqvendo, „
pertinere scortationem strictè dictam, in qva nec rationem „
generandæ prolis aut ejusdem educationem habeamus. *(p.47.* „
49.) Sed hoc pacto dubium non tollitur. Esto voluptatem non posse esse finem libidinis, sufficit, quod concesserat, senibus etiam citra intentionem finis satisfacere cupidini, modo adsit objectum debitum, quod etiam pro se allegabit scortator.

§. 96. Pergit Velthuysius *d.p.49.* Si quæ alia consvetu- „
do viro cum muliere intercedat, quæ propter conditiones „
quas ineunt, talia naturalia indecora post se non trahat, & ta- „
men vulgò scortatio vocetur propter defectum quarundam „
conditionum, quæ in matrimonio strictè dictô adsint, eam „
non esse illegitimam ex ratione naturali e. g. polygamiam, „
divortium extra casum adulterii, item *(p.50.)* incestuosa ma- „
trimonia, pudendorum revelationem, quia hæc omnia non „
repugnent appetitui venereæ libidinis, & quia Deus in iis „
dispensaverit, *(p.51.)* Sed hæc tamen repugnare pudori & ho- „
nestati naturali *(p.60.63.)* „

§. 97. Ergò statuit hic Velthuysius, ea, quæ contra pudorem & honestatem naturalem sunt, non esse contra jus naturæ, adeoque in causis potissimum matrimonialibus præter legem naturæ i. e. præter conservationem sui ipsius agnoscit alium fontem honestatis & turpitudinis, pudorem & impudentiam. Cum hac tamen assertione non benè connectunt, cum alibi dicit. *(p.72.)*
Peccata quæ contra honestatem naturalem fieri dicuntur, ma- „
la esse, quia fiant *contra primam & fundamentalem legem, conser-* „
vationem scil. sui ipsius: neminem enim fugere, quanti referat „
ad *benè esse;* ut quivis contemtum à se moliatur. At qui im- „
pudicè se gerit, contemtum suorum effugere non posse. Hic „
enim expresse Velthuysius peccata contra pudorem dicit, repu-

gnare conservationi sui ipsius. Nisi dicere velis, distinguendum esse ex ejus mente inter ea, quæ directò conservationi repugnant eamque destruunt, & quæ saltem eandem diminuunt, ut non, tàm benè sit. Peccata §. 96. recensita non destruere essentiam hominis, sed saltem famam diminuere

„ §. 98. Denique p. 89. exponit Velthuysius secundam clas-
„ sem peccatorum, quibus homo in seipsum peccat, quæ supra
„ §. 93. dixerat committi contra decorem naturalem hominis
„ seu hominis dignitatem; quæ quidem hic non describit, sed eò
„ saltem refert ebrietatem & gestus ac inflexiones membro-
„ rum indecoras.

§. 99. Hic verò nova obscuritas oritur: quomodo scil. vitia contra decorem & dignitatem hominis differant à vitiis contra pudorem. Sanè ob indecora pudore debemus suffundi: & non nisi gradualis videtur esse differentia inter impudentiam ejus qui pudenda revelat, & qui aliis gestibus indecoris utitur. Videamus, an & hujus obscuritatis sublationem ab autore expiscari possimus. In *probatione quæstionum quarundam ex Scriptura Sacra* (qvæ Dissertationi de principiis justi & decori subjuncta est *p. 113. seq.* non verò extat in operibus junctim editis) *p. 238. seqq.* istam distinctionem trium specierum peccatorum, quæ homo in se
„ ipsum committat, repetit, atque dicit: peccata contra deco-
„ rem naturalem cum iis quæ propriè contra naturam fieri dican-
„ tur, sub una classe redacta esse, (intelligimus, factas esse
„ species unius generis) quia in iis omnibus *impudentia* sit. De
„ peccatis verò aliis (scil. quæ committi dixerat contra pudorem)
„ asseruisse, quod horum omnium nihil quicquam in se turpe sit,
„ sed fiat saltem propter circumstantias. Ita pudendorum revela-
„ tionem in multis casibus posse non turpem esse, & nullos gra-
„ dus naturæ lege prohiberi in matrimonio, & nulla colloquia de
„ rebus venereis esse impudica. Sed fieri talia propter circum-
„ stantias vel à libidine proximi vel ab *ejus dignitate*, vel ab *æsti-*
„ *matione propria*, in qua unusquisque se tueri debeat.

§. 100. Sed hæc quidem expositio rem facit obscuriorem, cum in peccatis contra naturam etiam, item contra dignitatem homi-

hominis dicat esse impudentiam: E. & hæc, adeoque omnia tria vitiorum horum genera erunt contra pudorem. Et tamen ea qvoqve, qvæ contra pudorem in specie esse dicuntur, talia sunt propter dignitatem seu æstimationem proximi. Et ergo peccata contra pudorem, & contra dignitatem rursus erunt eadem.

§. 101. Quod si evolvatur dissertatio hæc de principiis justi & decori, quatenus extat *Tom. II. operum p. 961. seqq.* confusior redditur Lector de mente Autoris. Ibi enim *p. 970.* peccatorum primam speciem, quæ supra §. *93.* dixerat committi contra naturam strictè dictam, nunc dicit committi contra *decorem naturalem* hominis, eamque speciem opponit alteri, quæ committitur contra *dignitatem*, cum tamen suprà §. *93.* decorem naturalem & dignitatem in alterâ specie synonymicè usurpaverat. Ibidem porro *p. 972.* scortationem supra §. *95.* ad primam peccatorum classem relatam, refert ad secundam, quibus homo contra suam dignitatem peccet. Imò ibidem etiam divortium & polygamiam suprà §. *96.* etiam ad peccata contra pudorem relata inde rursus eximit, & in iis non tam contrà *pudorem*, quam contra *dignitatem* naturalem peccati dicit, & adeò inter peccata contra pudorem ibi solum refert incestum & revelationem turpitudinis. *Conf. p. 981.*

§. 102. Uti igitur ex his satis constat, autorem fluctuâsse ipsum in secernendis peccatis contra pudorem & dignitatem hominis, imò uti dicta ostendunt, quod in causis matrimonialibus præter legem naturalem agnoscat adhuc duo alia fundamenta distincta *pudorem* & *dignitatem* hominis; ita nos quidem de his fundamentis nihil judicare possumus, quamdiu ignoramus, in quô axiomate illa fundentur, & quomodo à se secernantur. Videmus equidem *p. 981.* quod peccata contra *dignitatem* sint, quæ repugnent etiam dignitati hominis integri, contra *pudorem* verò, quæ profluant ex lapsu. Ante lapsum enim, dicit, ho- „ minem in ea gloria & dignitate fuisse, ut functiones animales „ sui corporis ei non potuissent conciliare contemtum, quia su- „ pereminens dignitas ipsi versans ante mentis oculos pepulerit „ ita à functionibus animalibus illarum vilitatem, ut ejus se pu- „

 dere

dere non haberet necesse, & quia ita singuli homines integri ju- „
dicaverint de istis functionibus animalibus, ideo nullum pu- „
dori fuisse locum. Sed tamen nondum videmus, quomodo „
hic pudor stricte dictus, & alter pudor, quando committitur,
quid contra dignitatem hominis, conveniant, & in quo axio-
mate practicô uterque pudor diversus fundetur, quâque ratione
axioma istud ex dictamine rectæ rationis & naturâ hominis de-
ductum à lege naturæ, quæ etiam in natura hominis fundatur,
differat.

§. 103. Ergo quæramus mentem Autoris in locô, ubi ex pro-
fesso, quod dicitur, de pudore tractat. Edidit enim præterea
*tractatum moralem de naturali pudore & dignitate hominis, in quo agi-
tur de Incestu, Scortatione, Votô Cœlibatus, Conjugiô, Adulteriô, Po-
lygamiâ & Divortiis* &c. Ex quô tractatu præ cæteris fundamen-
ta Autoris examinanda erunt, cùm hic specialiter ac fusius de
usu doctrinæ de pudore & dignitate hominis in causis matrimo-
nialibus agatur. Ac videtur etiam hic tractatus post disserta-
tionem de principiis justi & decori esse conscriptus, etsi hæc in
Tomo II. operum, ille autem in *Tomô I. p. 165. seqq.* extet.

§. 104. Hôc locô igitur *p. 166.* docet, tres esse causas *pudendi.*
„ 1. Quando quid committitur, quod suâ naturâ peccatum est,
„ *contra leges justitiæ & charitatis.* 2. Quando committitur ali-
„ quid in specie *contra pudorem* & non contra leges justitiæ &
„ charitatis, quando nimirùm certis de causis debemus parcere
„ pudori nostro & proximi, ut in incestu & pudendorum revela-
„ tione. 3. Quando peccamus contra nostram dignitatem, ut
„ in scortatione, polygamiâ vel repudiis. Et hanc causam qui-
„ dem arctè cum priori connexam esse, distinctionem tamen
„ hic quoque observatam usum præbituram in progressu tracta-
„ tus, (i. e. in definitionibus causarum matrimonialium.) Pri-
„ mam causam pudendi huc non pertinere, sed reliquas duas esse
„ excutiendas.

§. 105. Hic equidem illud discimus: Pudorem sumi vel
latè, vel strictè, vel strictissimè. Latè ut etiam sub se compre-
hendat, cum quid fit contra leges naturales; strictè ut ea sal-
tem

tem denotet, quæ his factis opponuntur, fiunt tamen contra decorum vel dignitatem hominis; strictissimè qvando opponuntur etiam factis contra dignitatem hominis. Ergo debebat hic autor tradere fundamenta mediæ acceptionis, & distinctionem specierum duarum exinde profluentium. Idqve eò magis utile erit, cum etiam detur rusticus pudor de re bonâ vel honestâ, & qvæ nullum vitium aut argumentum infirmitatis continet. Nisi ergo certa axiomata ponantur, perpetuò confundentur pudor rusticus seu irrationalis & pudor genuinus ac virtuosus.

§. 106. Sensit id ipse Autor, unde *p. 167.* instituit ea sub „ examen vocare, in qvibus pudor & pudicitia propriè occupata „ sint, cum propter existentiam pudoris rustici à simplici pudo- „ ris affectu argumenta peti non possint, utrùm pudor sit legiti- „ mus an culpandus, sed debeant ad rationis trutinam appendi. „ Brevitatis tamen studio præmittit qnædam postulata. Qvare & nos brevitatis studio singulis postulatis judicium nostrum aut censuram subjiciemus.

§. 107. *Postulatum* 1. Homo mas & fœmina à DEO princi- „ pio creatus, *integer* qvidem & à peccati labe purus fuit, sed qvi „ habuerit tamen ex doctrina Pauli *1. Cor. XV. corpus animale* (non „ spirituale,) qvod non fuerit aptum fruendæ voluptati gloriæ „ cœlestis. „

§. 108. Hoc postulatum fortè nemo negabit, cum conveniat, qvæ nos vidimus, commentariis in dictum Pauli locum. Nobis tamen negare licebit, si ostenderimus paucis, id postulatum repugnare principiis interpretationis Logicæ & Physicæ genuinæ. Res non cognoscetur melius, qvam si exhibeatur paucissimis periphrasis sententiæ Paulinæ & intentio.

§. 109. Omne corpus, ut alibi ostensum est specialiter, spiritu præditum est, cujus spiritus vi etiam in prima creatione jussu Dei terra & aqva proferebat aves & reptilia & qvadrupedia. Productum post productionem appellatur in Ebraicis *næphesch chajáh*, anima vivens, Græcè ψυχὴ ζῶσα *Gen. I. v. 20. 21. 24.* Homo verò in statu integro tanqvàm creatura nobilissima & vicarius DEI in his terris debebat haud dubiè esse præditus corpore nobilissimô

mô & ſpiritu diverſô à ſpiritibus creaturarum reliqvarum. Igitur etiam DEUS non juſſit corpus iſtud produci à terra per ſpiritum terrenum, ſed ipſe narratur id formâſſe, i.e. omnibus organis corpori huic convenientibus ornâſſe. Et conſeqventer iſtud corpus ſtatim poſt formationem vitâ & animâ qvâdam præditum fuit, partim cum nullum corpus Spiritu deſtitutum ſit, partim quod nullum corpus organicum poſſit concipi tanquàm mortuum. Semper enim in homine mortuô organum aliquod læſum eſt, etſi imperfectio intellectus noſtri non ſemper poſſit oſtendere, quod nam ſit læſum.

§. 110. Ergo ſtatuo, hoc corpus cum & cerebrum & lingvam habuerit, ſtatim præditum etiam fuiſſe potentiâ cogitandi & loquendi, uti infantes noſtri hodierni præditi ſunt. Sed cum in illo ſtatu hominis eſſentia in hac cogitandi & loqvendi facultate non debebat ſubſiſtere (cum veroſimiliter ſerpens in ſtatu integritatis etiam has facultates, & conſeqventer etiam ſimilem hodiernæ ſtructuræ corporis humani ſtructuram poſſederit, *Gen. 3. v. 1.*) ſed potius amore DEI imbui, atqve ope hujus ſpiritus ab amore creaturarum, qvorſum naturâ ſuâ inclinat ſpiritus terrenus, ψυχὴ, abſtrahi, inde DEUS dicitur in faciem ejus inflâſſe halitum vitæ, & ſic etiam hominem factum eſſe *næpheſch chajáh*, i.e. eſſentiam viventem, ſui tamen generis reliquas omnes eminentem *Gen. II. v. 7.*

§. 111. Cum verò omuis Philoſophia Gentilis deſtituta fuerit principiis veræ & Moſaicæ Phyſicæ, atqve ſpiritum illum univerſi vel planè negaverit, vel ineptè circumſcripſerit, atque præterea & eſſentiam humunam in cerebrô ejus poſuerit non in corde, & deniqve hominem definiverit, qvod ſit animal rationale, atqve hâc Philoſophiâ Gentili (adhuc hodiè ubivis regnante) imbuti fuerint etiam ſeptuaginta interpretes; non potuerunt qvoqve ſignificationem differentem τ͂ *næpheſch chajáh*, qvatenus de homine & de reliqvis animalibus prædicatur, percipere, ſed in verſione *verſic. 7. Gen. II. Cap.* iſtas voces æqvè reddiderant ψυχὴ ζῶσα *anima vivens*, ſeu *animal*, uti reddiderunt de beſtiis.

§. 112.

§. 112. Hanc verò versionem in eo loco *1. Cor. XV.* satis apertè taxat Paulus, & justâ atqve veræ doctrinæ physicæ de naturâ corporum conveniente periphrasi locum Geneseos explicat. Respicere Paulum *1. Cor. XV. v. 45.* cum qvo tamen & jungendus *v. 47.* ad dictum locum *Genes. II. v. 7.* in confesso est, & conceditur ab omnibus. Periphrasin autem esse & interpretationem non versionem, cuilibet patebit à præjudicio vacuo utrumqve locum inspicienti. Dicit Moses: *Et formavit DEUS hominem terram ex terra.* Explicat Paulus: *Factus est prior homo Adam è terra terrenus (v. 47.) sed jam tamen animal vivens* (ψυχὴ ζῶσα) *v. 45.* Pergit Moses: *Et flavit DEUS in nares ejus spiraculum vitarum, & sic factus est homo næphesch chajáh.* Explicat Paulus: *Posterior autem & secundus homo, qvi erat Dominus ex cœlo, factus est spiritus vivificus,* i. e. *corpore spirituali gavisus est.* Atque adeò docet, reddendum esse istud næphesch chajáh *spiritum* vivificum, non *animal* vivens. Præprimis cum satis inconveniens sit, ex spiraculô vitarum cœlestis essentiæ & divinæ virtutis nil aliud prodiisse, qvàm animal aliqvod terrestre.

§. 113. Hæc jam qvidem sufficiant de vera expositione loci Paulini. Communis expositio per primum Adamum intelligens hominem in statu integro, per secundum Adamum Christum, hôc firmissimô, ut videtur, argumentô impugnari potest: Si Adam integer habuit corpus animale, non spirituale seu spiritum vivificantem, fuit etiam illud corpus animale corruptioni obnoxium, ignominiosum & infirmum & morbidum per expressos *versic. 41. 42. 43. 44.* At hoc qvis tàm audax erit, ut de corpore Adami integri sibi imaginetur?

§. 114. Adde: Si Adamus integer habuit corpus animale, non spirituale, seqvitur, qvod nos hic gestemus imaginem hominis integri non lapsi per *versic. 49.* Sed nos gerere imaginem hominis lapsi, non integri, uti in confessô est, ita disertè dicitur *Genes. V. v. 3.*

§. 150. Imò, si Adami corpus in statu integro fuit terrenum, non spirituale, fuisset ejus corpus ignobilius omnibus corporibus cœlestibus per *versic. 40. seqq.* At homo in statu integritatis non

non fuit ignobilior creatura sole & stellis, qvia sol & stellæ non sunt à DEO tali cura formatæ, nec ad divinam imaginem conditæ.

§. 116. Adde: Si nostram expositionem seqvaris, non debes anxius esse, ubi ultima verba *in vers. 45. (posterior autem factus est spiritus vivificus)* in Genesi extent. At si seqvaris communem, dic nobis, ubi extant illa verba, quæ ibi Paulus παραφράζει? Qvære per totum Codicem, inqvit Lightfootus *in Horis Hebr. ad hunc Pauli locum.*

§. 117. Deniqve evolve Lexica Ebraica: Invenies, *næphesch* non habere certum & unicum significatum, sed varia denotare, imò radicem ejus ignorari, qvô argumentô etsi non demonstretur assertio nostra, adjuvatur tamen & illustratur.

§. 118. Est hæc qvæstio, qvam huc usqve tractavimus, non Theologica, i. e. Dominis Theologis propria, sed evidenter Logica & Physica, neqve ad hunc locum contorta, sed eâ vel maximè opus fuit, ut justè negatô Velthuysii Postulato primô possimus eò fortius destruere seqventia, inter qvæ *Postulatum II.* est „ *d. p. 167.* Ergo in corpore Adami aliqvid vile fuisse, & qvod „ minus honestum erat in eo sensu, qvô Paulus qvædam mem„ bra corporis minus honesta appellat. *1. Cor. XII. 2.3.*

§. 119. Negamus hoc postulatum: Probationem ejusdem jam infirmavimus, qvomodo verò infirmare velint communem sententiam postulati primi foventes, ipsi viderint. Urgemus ulterius: Si aliqvid vile fuit in corpore Adami, fuit & probrosum. Sed tale, qvid non fuit per ea, qvæ ex ipso autore excerpsimus. *§. 102.*

§. 120. Vult hanc objectionem effugere Velthuysius, ne„ gando identitatem membrorum vilium & probrosorum *d. p.* „ *167.* & concedendo, qvod Adamus de nullo membro in illo „ statu debuerit erubescere: addendo insuper, qvòd illa vilitas „ corporis animalis fuerit ita absorpta à justitia originali, ut il„ lud vile & humile planè dispareret. Sed regerimus: identitatem membrorum vilium & probrosorum non posse negari, qvia eandem definitionem habent, & eam identitatem insuper agno-

scit

scit Paulus *1. Cor. XV. v. 43. & 44.* Si verò vilitas fuit absorpta, ut disparuerit, non habuit Adamus amplius aliqvid vile in corpore suo, & sic destruitur ipsum postulatum.

§. 121. Provocat eqvidem Velthuysius in hoc postulato ad Paulum *1. Cor. XII. v. 23.* Sed iterum frustrà, qvia Paulus ibi apertè loqvitur de vilitate conjunctâ cum ignominiâ & de statu membrorum post lapsum, unde malè ex illo loco qvid infert Velthuysius ad statum corporis humani ante lapsum.

§. 122. Probamus assertum, ne prolixi simus, brevi circumscriptione textûs Paulini. *Qvæ putamus* membra in hoc statu præsente *maximè esse inhonesta*, ut qvæ propterea etiam pudendorum nomen acceperunt, *iis* obtegendo ea sollicitè *honorem ampliorem circumponimus*, & ita, *qvæ sunt in nobis indecora*, tegumentis illis *copiosiorem decorem habent. Nam quæ sunt in nobis decora*, ut facies, manus, pedes &c. *iis non est opus*, ut ea tegamus. (Sed si tegimus, fit ex mollitie, ut qvando nos tegimus pedes,) Indecora verò sunt omninò tegenda, qvia iste honor obvelationis non est ab arbitrio hominis, *sed DEUS* ipse in judicio post lapsum habitô *simul ita temperavit corpus*, & vestimenta ordinavit; *ei* parti pudendæ, *cui deerat* tegumentum, hôc modô *copiosiore tributô honore* &c. Respicit enim Paulus haud dubiè ad *Genes. III. v. 21.* Ne putes, DEUM etiam in statu integro hominem creâsse cum membris indecoris, uti videtur perperam intellexisse Velthuysius.

§. 123. Unde ex dictis jam maximè dubium redditur *Postulatum III.* Velthuysii *p. 168.* Vides illas res & actiones corpo- „ ris animalis, quanquam non pares gradu, esse appetitum eden „ di, bibendi, coëundi & organa istis functionibus destinata. „ Hic ante omnia notandum, Velthuysium vi hujus postulati non solum membra hominis, quæ hodiè pudenda sunt, pro vilibus habere, sed & ipsum os hominis ut quod organum est, quo homo utitur ad edendum & bibendum.

§. 124. Secundò notandum, Velthuysium, dum dicit vilia membra differre gradu, adeoque etiam curam circa istos gradu aliquo differre debere, neque tamen hic explicet illam graduum differentiam, explicandum esse ex iis, quæ habet *p. 172.* Coitum „

„ inter omnes actiones corporis animalis & terrestris esse abje-
„ ctisſimum, ideò non ſolum remotis arbitris debere fieri, ſed
„ & partes iſtum actum juvantes eſſe obtegendas. Proximas his,
„ quamvis longò intervallo eſſe, quæ inſerviant excernendis ex-
„ crementis, ideò in illis omnibus hominum curam verſari, ut
„ quàm maximè fieri poſſit, clam & ſecreti licentiam nacti iſtis
„ abjectis actionibus defungantur. Deniq; edendi & bibendi
„ actiones (in quib9 adeò conſtituetur gradus tertius) aliquo de-
„ coro cohoneſtandas eſſe, ne gulæ ſtudioſi aut ventri dediti vi-
„ deamur. Eſſe enim contra decorum & *dignitatem* hominis, fun-
„ ctionibus, quas corporis animalis natura requirat, & ex quibus
„ nullæ ſint ingenuæ oblectationes, ſeſe jactare aut oſtenta-
„ re, ſed potius ingemiſcendum eſſe, quod, donec ſimus in his
„ corporis compagibus, iis muneribus perfungi debeamus.

§. 125. Igitur graduum Illorum trium differentia ſecun-
dum Velthuyſium in eo conſiſtet, quod membra primi gradus
non ſolum ſint clam uſurpanda, ſed & obtegenda, adde etiam ex
„ *p. 168.* abſque præfatione honoris ne nominanda quidem, ſed
„ in iis aut eorum actionibus recenſendis ambitu verborum
„ utendum aut talibus vocibus, qvæ quam minimè inſinuent
„ menti vilitatem eorum; membrorum autem ſecundi gradus
actiones ſaltem clam & ſine teſte edi debeant: tertii gradus
membrorum actiones honeſtis & decoris moribus honeſtandæ
„ ſint, nec in iis gloriandum, aut ea votis expetenda, cum con-
„ trà votis expetere liceat acre ingenium, firmam memoriam,
„ robur & agilitatem corporis, ſermonem venuſtum, inceſſum
„ gravem & compoſitum *d. p. 168.*

§. 126. Simul verò conſtat, partes generationi deſtinatas
pertinere ſimul ad primum & ſecundum genus, os verò ſimul ad
genus ſecundum & tertium, quia ore etiam ejicimus excremen-
ta; naſum etiam ad ſecundum genus pertinere; ventrem ad
tertium: mamillas fœminarum ad neutrum, quia nec iis ineſt
turpitudo coitus, nec excrementa iis ejiciuntur, nec ad cibum &
potum pertinent, ſed ad ſuſtentationem prolis deſtinatæ ſunt.

§. 127.

§. 127. Committit autem aperte in hoc postulato petitionem principii Velthuysius: Dixit suprà §. 106. Affectum pudoris sua sponte non dijudicari, utrum legitimus an culpandus sit, sed ad rationis trutinam esse adpendendum. Hic verò per nullam rationem monstrat diversitatem graduum, sed saltem ex moribus, & ex eo quod fieri solet circa diversa membra, postulat ea docere quæ fieri debeant, quod inconcinnum est. Quidsi ergò cum tali homine ipsi res foret, qui Cynicas hypotheses secutus assereret, istos diversos secundùm triplicem turpitudinis gradum pudoris effectus pertinere ad pudorem rusticum & illegitimum? Quid si κατ' ἄνθρωπον urgeret, non apparere, cur coitus inter omnes actus corporis sit vilissimus, (præprimis cum Velthuys. veram turpitudinis causam hic non ponat in conscientia libidinis, ut mox videbimus,) cum tamen sit ordinatus ad generationem humanam, & adeo sit generi humano utilissimus? Quid si pergeret, membra huic actui destinata in structura sua nihil vilitatis habere præ cæteris membris, sed potius omnium sapientissimè & admirabiliter structa esse, ut in anatomicis considerationibus à Dominis Medicis ostendi solet?

§. 128. Imò, cum Velthuysius ex sola membrorum genitalium turpitudine velit eadem esse & obtegenda, & cum præfatione honoris nominanda, & clam actum conjugalem usurpandum, non ob libidinis œstrum, & verò per dicta in eorum structura nulla sit turpitudo, necesse ei foret, ut causam clandestinæ usurpationis & velamenti & circumscriptionis eorundem in sermone qværat in eo solo, quod excrementa per eadem ejiciantur. At verò nec hanc esse causam genuinam, inde patet, quia aliàs sequeretur, totam faciem hominis tegi debere, & nasum atque os cum præfatione honoris esse nominanda, quia & per nasum & per os excrementa ejiciuntur, & quidem tantò magis, quantò majorem horrorem ac nauseam solet communiter excitare id, quod ex ore, potissimum hecticorum ejici solet præ excrementis vesicæ aut alvi. Quorum tamen utrumque repugnat moribus omnium, quas scimus gentium, & ipsius Velt-

huysii doctrinæ, qui oris vilitatem saltem in tertio & infimo turpitudinis gradu collocat, cujus effectus secundum ipsum ad obtegenda membra ejus generis, aut cautionem, ne simpliciter nominentur, non porrigitur. Qvid qvod ipse ne qvidem membra secundi generis ob solam excrementorum ejectionem velit tegi, sed saltem usum eorundem remotiis aliis hominibus velit fieri, cum tamen ea quæ per os ejiciuntur, communiter soleant & in præsentia aliorum hominum excerni. Ut taceam, quod ex ejus hypothesi mamillæ mulierum non sint velandæ, quod tamen etiam moribus moratiorum gentium est adversum. Conf. quæ ipse habet Velthuysius *p. 172.*

§. 129. Denique etsi concedamus, circa membra tertii generis, moderatè esse utendum cibo & potu, nec jactandum esse eorum usum aut delectationem eorundem expetendam esse, negamus tamen eam observationem derivandam esse ex pudore, qui legi naturæ contradistingvitur, sed potius, quia alias homo incurrit vitia intemperantiæ. At intemperantia est vitium juri naturæ repugnans. Neque indistinctè eidem concedimus quod liceat exoptare acre ingenium, firmam memoriam, robur & agilitatem corporis, sermonem venustum, incessum gravem & compositum. (*vid. supra* §. *124*) Nam sapiens sua sorte est contentus, si hisce rebus destituatur, neque easdem appetit sed sumit. Qui enim talia enixè appetunt, aut in iis se jactant, declarant se maximè ambitione laborare: at vitia ambitionis æquè dictamini rectæ rationis repugnant, qvam vitia voluptatis. Quod verò communiter homines soleant erubescere ob vitia voluptatis, non autem ob vitia ambitionis, ratio est, quod voluptas sit vitium ambitioni maximè oppositum, & quod ambitio in hominibus, ut qvi omnes naturâ veris virtutibus destituuntur, mentiatur virtutes, earumque characterem ac nomen assumat.

§. 130. Denique & istud parum cohæret, quod Velthuysius in deducendis tribus pudoris gradibus immisceat dignitatem hominis (*vid.* §. *123.*) cum tamen superius §. *104.* dixerit, quod velit inqvirere fontes pudoris strictè dicti, quatenus à dignitate hominis distingvitur.

§. 131. Progredimur ad *IV. Postulatum.* Dicit *p. 168.* De „ vilibus hisce functionibus corporis terrestris Adamum in statu „ integritatis non erubuisse, quia Deus & omnes creaturæ illi tùm „ fuissent amicæ. Unde nec eum tùm fecisse selectum inter bo- „ num & malum, adeoque rectè de primis parentibus, cum ad- „ huc essent illibati à peccato, prædicari, eos bonum & malum „ nescivisse, cum hujusmodi bonum non cognoscatur nisi per „ suum oppositum &c.

§. 132. Hic eqvidem cum Velthuysio non disputabimus, an ejus sententia vera sit, quod in Adamo fuerit ignorantia vitiorum, præprimis cum in seqventibus verbis satis commodè se explicet, quod per hanc ignorantiam non intelligat stupiditatem in intellectu, sed carentiam desiderii in corde. Nobis sufficit, quod & hoc postulatum, quatenus immiscet, Adamum in statu integritatis habuisse corpus terrenum, & exinde deducitur, jam profligatum sit in postulato I. §. *107. seq.*

§. 133. Unde etiam nihil speciatim notabimus ad *Postulatum* V. *p. 169.* Post peccatum Adami oculos mentis fuisse re- „ clusos, & illicò sensisse aliam legem oppositam legi mentis suæ, „ & ita suo damno scientiam boni & mali acquisivisse. Nisi „ quod idem hic repetendum sit, deductionem saltem hujus assertionis esse falsam, quatenus cum postulato primo connectitur.

§. 134. In *Postulato* VI. causam exponit Velthuysius „ *d. p. 169.* cur Adamus per peccatum gloriâ Dei & excellenti- „ bus donis privatus erubuerit in sua nuditate, quia videlicet „ illa organorum generationi deditorum abjecta natura non „ amplius tecta fuerit, & obumbrata gloria justitiæ originalis, se „ statim ita prodiderit, ut merito pudore suffunderetur, intelli- „ gens se meritò pati *in animis hominum æstimationis suæ imminutio-* „ *nem,* & judicans, *Evam* rationis potentem & aptam ad judican- „ dum de turpitudine sua.

§. 135. Hic uti repetenda sunt ea, quæ modò contra doctri- ctrinam de abjecta natura membrorum genitalium monuimus §. *126. seq.* item quæ superius de obumbratione vilitatis per justitiam originalem dicta sunt §. *120.* ita non intelligimus, quid cogi-

taverit Autor, cum dixit, Adamum intellexisse, se in animis *hominum* æstimationis imminutionem pati. An enim alios homines intelligit præter Evam? Certè tamen non intelligit PræAdamitas qvosdam, sed fortè posteros Adami. Interim nullam causam pudoris habuisset Adamus pudendi propter Evam, neq; propter Posteros, quæcunque demum causa & origo pudoris sit. Non propter Evam, quia inter eos, qui communi turpitudine aut causa pudendi laborant, semper pudor cessat. Non propter Posteros, partim propter eandem rationem, partim quod posteri Adamum non viderant in statu pristinæ felicitatis. Nam coram his pudere solemus, qui nos viderunt in felicitate quam amisimus, coram aliis non ita. Et revera Protoplasti pudore suffundebantur post peccatum non inter se, utpote cum & præter modò dictam rationem summa familiaritas tollat regulariter pudorem, sed intuitu Dei. Vel id etiam indicare saltem vult scriptura: quod unà cum lapsu pudor ortum duxerit, ante lapsum non exstiturus.

§. 136. Occasione autem hujus postulati Velthuysius causam exponit, cur à communi sententia recedat, causam pudoris ob partes genitales ponente in libidine per revelationem eorundem excitandâ. „ Etsi enim procul dubiô ob hanc causam curam tegendæ nuditatis augeri concedat, proximam tamen & „ veram pudoris causam esse non arbitratur *p. 170.* qvod simul est „ ejus *Postulatum VII.* qvia non possit probari, proprietates actionis venereæ (qvæ libido dicuntur) non adfuturas fuisse in statu integritatis, qvia videantur seqvi naturam istius corporis „ terrestris & animalis.

§. 137. Hic eqvidem viderint defensores communis doctrinæ, qvod Adamus integer habuerit corpus animale & terrenum, qvomodo objectioni huic Velthuysii satisfaciant. Qvod enim communiter afferri solet, hominem etiam integrum eôdem modô se miscuisse fœminæ ut hodiè, non tamen voluptate illâ libidinosâ in actu ita fuisse abreptum, non satisfacere potest; qvotiescunqve qvis cogitat, illum libidinis sensum ex ipsa seminis resolutione oriri, atqve homini etiam invito ex ipsa actionis natura obtin-

obtingere. Nos qvidem facilè hanc objectionem Velthuysii evitamus, qvi suprà negavimus, Adamum integrum habuisse corpus animale & terrestre.

§. 138. Dicta hactenus satis ostendunt, parum solidi qvid de pudore à Velthuysio expectandum esse, unde & qvæ jam ex istis Postulatis infert, robore suô destituuntur. Etsi enim facilè concedamus Velthuysio, Pudorem post lapsum in Adamo non „ fuisse pudorem rusticum & intempestivum, item falli eos, qvi „ docent, hominem tantùm erubescere debere in peccatis; „ (*d.p.170.*) ac deniqve: (*p.171.*) necessitatem pudenda tegendi „ ab Adamo in omnem posteritatem fuisse transmissam, non „ tamen Velthuysius differentiam genuinam ostendit secernendi pudorem rusticum à justo pudore, non rationes justas dedit refutandi dogma Cynicum, non causam genuinam, cur pudenda tegenda sint, exposuit.

§. 139. Nolumus ergo, qvæ seqvuntur, ulterius ex illô autore excerpere, cum ipse *p. 157.* ubi ad rem perventum est, satis dilucidè confiteatur, qvod nihil, in qvo fundare te possis, ab ipsô sit expectandum. *Sed*, ait, *ut semel rem totam* de principiis innati pudoris *expediam, statuimus, omnium cultiorum morum semina, à qvibus moratiores gentes commendantur, qvæqve honestatis, modestiæ, decoris nomine veniunt, in ipso homine reperiri: neqve illa tàm arte, industriâ* & ratiocinatione longè petitâ *primùm germinare incipere, qvàm quidem exemplis ad aliquam frugem excrescere.* Hic sanè Velthysius sensit, se imparem esse proposito cum *p. 167.* dixerat: *pudorem & verecundiam, qvamvis â natura ortum habere videantur, ad rationis trutinam esse adpendendas, & affectum pudoris non suâ sponte* (& exemplis) *judicari, utrum legitimus an culpandus sit.* Quam in rem etiam posteà Postulata hactenus expensa proposuerat.

§. 140. Cum igitur hisce principiis fluctuantibus à Velthuysio tota doctrina de incestu, scortatione, votô cœlibatus, conjugiô, polygamiâ, adulteriô, item divortiis & repudiis, sit superstructa, constat, nec iis qvem securè posse in definiendis causis matrimonialibus inniti. Unde discant simul, qvi adsveti hactenus

nus fuerunt, doctrinas in causis matrimonialibus communibus erroribus contradicentes traducere, tanqvam impias & pudori naturali adversas, neqve tolerandas in Republ. Christianâ, ne in posterum talia tentent, anteqvam ipsi satis distinctè docuerint originem & fundamenta pudoris naturalis.

§. 141. Eqvidem qvod Paulum JCtum attinet, cum is Gentilis fuerit, & institutionem primævam conjugii atqve Leges Divinas positivas universales ignoraverit, facilè habemus excusatum, qvod in deducenda turpitudine incestûs genuini fontis ignarus in pudore aliqvo naturali refugium qvæsiverit. At qvod Jure-Consulti Christiani seqvestratô fonte genuinô sacrarum literarum & lege divinâ positivâ malint ignorantiam Pauli seqvi, id qvidem miramur. Nam in causis matrimonialibus pudorem omnem ex legibus vel naturalibus vel positivis derivandum esse, non verò contra moralitatem actûs alicujus in his causis à pudore deduci debere legibus contradistinctô firmiter statuimus.

§. 142. Qvemadmodum autem hactenus liberè ostendimus, qvid in aliis displiceat, ita ut eò melius constet, absqve affectu nos & solô veritatis inqvirendæ studio egisse, ostendemus ultimò, qvid in genuinis fundamentis etiam desideremus. Scilicet deduxit eqvidem Dn. Præses *in Instit. Jurisprud. Div.* decisionem plerarumq; qvæstionum matrimonialium, partim ex lege naturæ *Lib. III. Cap. 2.* partim ex lege positivâ universali *Lib. III. Cap. 3.* Cùm tamen & hic nonnulla immixta fuerint ex communiter receptâ doctrinâ, qvæ ex posterioribus cogitationibus emendationem desiderarunt, in titulô Disputationis nostræ, dum fundamentorum hactenus receptorum insufficientiam indicavimus, etiam huc respeximus. Qvare nec mirandum, qvod in dictis Instit. *Lib. III. C. 3. §. 58. seqq.* qvæstio difficilis de divortiorum causis non fuerit soluta, sed suspensa.

§. 143. Dicimus *insufficientiam* fundamenti non falsitatem. Id enim firmum esse statuimus, (1) qvod in qvæstionibus causarum matrimonialium, qvando de potestate Principum circa matrimonia propria vel subditorum qværitur, non unum, sed duo, nec plura tamen fundamenta sint: Jus scilicet Naturæ, & Jus

Divi-

Divinum positivum universale. (2.) Quod origo utriusqve juris ac differentia, & fundamentales propositiones in Instit: Juris divini perspicuè ac convenienter sint ostensæ. (3.) Qvod ex his fontibus *in Cap. 2. & 3. Lib. III. dictarum Institut.* multæ eæqve difficillimæ qvæstiones jam satis feliciter sint resolutæ, & modi respondendi sententiis adversis perspicuè ostensi.

§. 144. Insufficientia verò, qvam hic innuimus, partim respicit Jus Naturæ, partim Legem positivam universalem. Qvod Jus Naturæ attinet, qvoniam id in convenientia cum natura hominis consistit, non solùm ad percipiendam ritè doctrinam juris naturæ sufficit, nosse socialitatem seu naturam communem hominum in relatione extra se, sed & opus est, probè vitare communes errores de natura hominis speciali & interna. Hic verò Dn. Præses in dict. Jurispr. Div. supposuit adhuc communem & capitalem errorem Philosophiæ Gentilis, qvod hominis essentia consistat in intellectu animæ, & qvod intellectus emendet voluntatem. Hunc errorem verò seqvuntur alii, qvod homo sit species infima ac unica, ac qvod homines habeant eandem essentiam specificam; item qvod voluntas hominis habeat liberum arbitrium intuitu qvorumcunqve actuum, saltem externorum, & qvod hoc liberum arbitrium in omnibus hominibus, qvoad naturam suam consideratis sit æquale: item qvod in dijudicanda licentia actionum specialium humanarum, in genere eam definire liceat, ita ut qvod uni homini liceat, liceat & alteri &c.

§. 145. Qvod si enim contra ostendas, *hominis essentiam* non *consistere primariò* in Intellectu, sed *in Voluntate*, & *Intellectum corrumpi semper aut emendari à Voluntate*, suâ sponte etiam reliqva omnia adversô modô erunt docenda, scilicet: Hominem non esse speciem infimam, sed *homines qvotqvot existunt, specie inter se differre*; item, *voluntatem hominis sæpè cogi* vi amicâ, ita ut resistere non sit in hominis arbitrio; item: *qvod uni homini facile est agere aut vitare, id alteri esse difficile & sæpè etiam impossibile*; item: qvod circa actiones illicitas eqvidem communia possint axiomata tradi ab omnibus hominibus observanda; qvoad *licentiam* verò *actionum* talia axiomata tutò non tradantur, sed hic rem diju-

dicandam esse partim ex *intentione agentis*, partim ex *decorô*, & facilius qvemvis interrogantem: an hoc vel illud sibi liceat agere? sibi ipsi respondere, *quàm responsionem dari posse à tertio*, qvod est contra communem sententiam eorum, qvi casus conscientiæ scribunt.

§. 146. Hæ verò observationes, uti se diffundunt per omnes casus conscientiæ, ita etiam in causis matrimonialibus sæpius earum usus se exeret. Præprimis cum de *ritibus nuptialibus* sermo est. v. g. an liceat in nuptiis Christianorum *musicâ*, *choreis*, *conviviis* &c. uti? item: an liceat ducere fœminam, *nobilem*, *divitem*, *pulchram*, *juvenem?* &c. item: an liceat inire matrimonium ad *morganaticam*, aut qvod Galli vocare solent: *Mariage de conscience?* item: an liceat *vovere cœlibatum?* an liceat *concumbere cum uxore gravidâ?* & qvæ possunt esse qvæstiones similes. Et in genere cum qvis consulit JCtum, an salvâ conscientiâ hoc vel illud in matrimonio facere possit? Qvod si enim ad JCtorum officium pertinet cautelas præscribere circa contractus aut stillicidia, multò magis ad eos pertinet cavere, ne qvid in societate hâc agatur contra leges DEI.

§. 147. Qvod autem Legem Divinam positivam universalem attinet, docuit Dn. Præses *in Instit. Jurispr. Div. Lib. I. Cap. 2. §. 125.* plures esse species legis hujus, & eas vel dirigere officium hominis circa cultum DEI, vel circa alios homines, illas immediatè intendere beatitudinem æternam, has verò immediatè temporalem. Docuit porrò *Lib. III. C. 3. §. 2. & 3.* DEUM etiam in statu integritatis legibus naturalibus leges matrimoniales positivas adjecisse, qvasdam autem in statu post lapsum esse adjectas, neqve tamen rationes harum legum positivarum in statu integritatis publicatarum inqviri posse, cum DEUS easdem non revelaverit. Docuit deniqve *Lib. III. Cap. 7. §. 129. seqq.* ex lege positiva universali homicidium, incestum, concubitum cum menstruata, adulterium, immolationem seminis Molocho factam, Sodomiam esse punienda capitaliter.

§. 148. Cæterùm re exactius pensitatâ in illis sententiis multa jam desiderat Dn. Præses aliter ponenda, quæ tum ob præju-

dicium

dicium communium errorum ubiqve regnantium non viderat. Nam (1.) differentia illa legum positivarum falsò supponit, *felicitatem temporalem & æternam specie differre, cum saltem differant gradu:* unde potius distingvendum hic esset inter tranquillitatem hominis aut pacem *internam* & *externam.* (2.) Falsò supponitur, quod *in statu integritatis diversum fuit Jus Naturæ à Positivo.* Cum enim in statu integritatis homo naturâ fuerit in statu *gratiæ*, & verò post lapsum Lumen naturæ fundamentum præbeat Legis Naturalis, lumen gratiæ legis positivæ, patet, hominem in statu integritatis naturâ suâ intellexisse voluntatem omnem DEI, nec peculiari revelatione habuisse opus. (3.) Falsò supponitur, quod *præter leges conjugii aliæ sint leges positivæ universales societatem humanam & officia hominum inter se respicientes.* (4.) Falsum enim est, *ullas leges pœnales in Scriptura Sacra pertinere ad Leges positivas universales, sed omnes ibi recensitæ spectant ad leges forenses.* Non obstat *Gen. IX. v. 6. Levit. XVIII. v. 29.* (5.) Falsum est, *qvod in ulla lege positiva universali DEUS respiciat ad pacem hominis & salutem externam*, sed potius pertinent ad salutem internam. Nam 6. *omnes leges positivæ universales matrimonium respicientes spiritualem & internum ac mysticum finem habent Ephes. V. vers. 29. 32.* (7.) Quâ ratione tùm temporis non accuratè pensitatâ, non mirandum, quod in dictis Instit. *Lib. III. Cap. 3.* §. *71.* quæstio de divortio indefinita fuerit relicta. (8.) Cum leges hæ divinæ matrimoniales habeant finem saltem spiritualem, *debent etiam saltem spiritualiter judicari*, i. e. non requirunt eæ pœnas temporales, sed relinquendæ sunt vindictæ divinæ spirituali.

§. 149. Etsi verò hæ hypotheses suum frequentissimum & ferè continuum usum habeant in controversiis de potestate Principis circa matrimonia, & Dn. Præses tàm quoad has, quàm eas, quas §. *145.* indicavimus, summam dicendorum jam in *dictatis MSC. partim annô proximè elapsô in Collegio ad Inst. Jurisprud. Div. partim annô 1694. in peculiari meditatione de Fundamentis, unde causæ matrimoniales dirimendæ sunt*, indicaverit, quoniam tamen in præsenti Dissertatione saltem de Fundamentorum hactenus jactorum insufficientiâ agere decrevimus, istorum quidem

omnium

omnium deductionem relinquimus peculiari Diſquiſitioni *de fundamentis genuinis Cauſarum matrimonialium.*

§. 150. Antequam verò & hoc fiet, exanimanda adhuc erunt aliorum Doctorum fundamenta definiendi controverſias matrimoniales. Quorum alii ad *mores Gentium moratiorum* recurrunt, alii ad *Leges Moſaicas forenſes* provocant, alii ad *mores primorum Chriſtianorum*, vel quinque ſeculares, vel etiam ad puriora tempora, antequam ſcilicet Eccleſia virginitatem ſuam amitteret, & ſub Conſtantinô M. ope Anti-Chriſti mater fieret; alii allegatione *Juris Romani* ſcripta exornant; alii contra prima principia Jurisprudentiæ Proteſtantium Eccleſiaſticæ ſibi perſvadent, quod in cauſis matrimonialibus ſequamur *Jus Canonicum*; alii denique *farragine Autorum omnis generis*, Patrum, Scholaſticorum, JCtorum, Pontificiorum, Lutheranorum, Reformatorum in turmas diſpoſitâ, adverſarios ſuos ſi non refutare, ſaltem terrere ſuſtinent. Vides adeò, quàm latus ſe hic differendi aperiat campus. Sed & iſta requirunt peculiarem diſcurſum *de fundamentis ſpuriis cauſarum matrimonialium.*

S. D. G.

QUÆSTIONES.

1. *Cum matrimonium certô reſpectu, ſit res ſpiritualis, & ſpiritualia ſpiritualiter ſint judicanda, ex hoc reſpectu verò profluat prohibitio divortiorum & polygamiæ, quæritur: An hæ prohibitiones poſſint confirmari per ſanctionem pœnarum temporalium?*

2. *Matrimonia ob voluptatem, avaritiam & ambitionem inita non ſunt ſpiritualia. Unde quæritur: An in quæſtione de divortiis poſſint conſiderari ut ſpiritualia, h. e. an huc poſſit applicari dictum: Quos Deus conjunxit, homo ne ſeparet?*



